PHARVS
BENEDICTINA

TINECIA

SEV

HISTORIA MONASTERII TINECENSIS.

ORDINIS S. BENEDICTI

Primariæ inter Polonica Cænobia venerationis

Per R. P. STANISLAVM SCZYGIELSKI, Bibliothecarium eiusd: Monast: collecta, & in IV. Libros partita.

Sint oculi tui Domine aperti super Domum hanc nocte ac die. 3. Reg. 8.



S. Petrus Princeps Aplo℞ Dei et D.N. J. C. Vicari℞ Ecclíæ Rom.æ Ædificator. | S. Ben: Abb. Patr^cha. et legislator Mon^s Ecclíæ Romæ Reædificator. | S. Paulus S. Petri Coaplus et Doctor Gentium Ecclíæ Romæ Coædificator.

Ex Vetuss Pictura in Abside Ecclíæ S. Sebastiani in Foro Boario Romæ expressa A.C. 573.

CRAC: Ex Offic; SCHEDELIANA, S.R.M. Typ: A. 1668.



ADMODVM VENERANDIS PATRIBVS,
Alumniſque vniuerſis, MONASTERII TINECENSIS.

F. STANISLAVS SCZYGIELSKI, P.P.P.

N*Vnquam ego, varios Annales legentium, & Acta aliorum, diligentiam improbaui: A. RR. PP. eorum tamen conſuetudinem laudare haud potui, qui domeſticorum incuriâ, externa tantum ſuſpicientes, propriarum rerum memoriam obſoleſcere ſinunt. Animaduerti in tales alibi ſolitum legi, vt qui Spartam quam nacti fuiſſent, non ornarent, eandem deſerere compellerentur. Hinc fit, vt meritò ſuccenſere debeam, doleamque plurimùm, nulli hactenus* TINECENSIVM *noſtrorum in mentem veniſſe, vt Æui præteriti res geſtas, & Domus noſtræ Antiquitates conſcriberet: ex quibus,* TINECENSIS *huiuſce Conuentus, excellens gloria, & priſca illa maieſtas, deplorato iſto tempore, manifeſtius ab omnibus conſpiceretur. Vn-*

de cum noſcendi vetera, deſiderium me ingens poſſideret, Archiuo TINECENSI *perſcrutando me tradidi; ex quo Veteris memoriæ latentem hunc theſaurum, poſt multas diſcuſſas tenebras, ad lumen reuocaui. Neque verò ſum neſcius, fore nonnullos, qui quâ ſunt in litteras amarulentiâ, hocce propoſitum meum, minus ſint probaturi: plures tamen futuros non dubito, qui præſentis Operis vtilitate perſpectâ, & earum rerum quæ hîc pertractantur iucunditate detenti, laborem meum & impenſas factas, benignius ſint accepturi. In ſinum autem veſtrum,* TINECENSES *mei, ſuo argumento & affectione,* TINECIA *mater noſtra & bona altrix declinat, veſtrumque patrocinium ambit & amorem requirit; cuius Nomen Decuſque cum cordi habeatis, meum in eius Antiquitatibus propalandis prouehite conatum, & hoc animi illi deuoti, quod ſæculis trado, monumentum, æuo duraturum, ſi vos, vel leui fauore, æternitatis ei aditum aperueritis, beneuolè accipite.*

Ad



Ad Reuerendum D. STANISLAVM SCZYGIELSKI, scribentem Historiam MONASTERII TINECENSIS, gratulatorium Carmen.


Obile commentum gaudet finxisse vetustas,
Quod fuit è cerebro nata Minerua Iouis.
Fabula prisca fidem per te STANSLAVE recepit,
Dum paris ingenio TINECIæ Chronicon
Antiquata domûs reuocatur gloria nostræ,
Dum repetis docto carmine facta Patrum.
Dum memoras titulos, fundos, & iura priora,
Ingenium subigis, studia sacra doces.
Prisca recensq; tibi SCZYGIELSKI seruiet ætas,
Plaudere debebunt sæcula multa tibi.
Crescet Honos, Nomenq; tuum, meritiq; labores,
Serta ferent capiti præmia digna tuo.

Officij ergo P. GVALBERTVS CZECHOWICZ, Tinec: Relig:



Ad eundem R. D. STANISLAVM SCZYGIELSKI.


Vm nouus HISTORIæ scriptor monumenta recludis,
Nobile TINECIæ surgit ad astra iubar.
Omnia quæ fuerant longo consumpta veterno,
Restituis luci, conspicuumque facis

Quæq;

Quæq; olim, infelix inhonoraq; ſubruit ætas,
Excipiet ſæcli poſt venientis honos.
Perge, age, macte nouis animi virtutibus, inde
Succedet ſtudijs debita palma tuis.
Heroas celebrans, ſis tu quoq; maximus Heros,
Et tacitus caneris, dum pia geſta canis.
Dum mundo ABBATVM, *tua fama excurrit ad aſtra*
Hi terris, cælo tu mage notus eris.

F. Joannes Rostocki, Tinec: Mon:



Eidem multum Reuerendo Patri ac Domino

STANISLAO SCZYGIELSKI,



Magna tibi multum Vir docte TINECIA debet,
Cuius commemoras ſæcula præterita
Iam veteres quoq; deuincti tibi, iure leguntur,
Quorum geſta, vices, continet iſte liber.
Iam monumenta patent magno collecta labore,
Iuraq; Cænobij perpetuata ſtabunt.
Audiet & miro, celebrans tua nomina, faſtu
Fama, tuo veniet non inimica libro.
Et veteres inter ſtatuam tibi ponet, & aram,
Ad quam perpetuo thure litabit honor.

F. Basilius Sanocki, Monach: Tinec:

E I.

EIDEM.



Vros chare Pater tolerasti sponte labores
TINECIÆ pangens HISTORIÆ seriem.
Cernimus, eruderas ut docto abstrusa labore
Eruderata offers Fratribus inde tuis.
Te ne huc fama volans, an gloria traxit inanis?
Absit; at ipse DEI, & Relligionis amor.
Hinc subeat tibi magnus honos, tibi nobile nomen,
Gratiam & hinc Fratres, Numen & inde ferant.




FA-



FACVLTAS

F. LVDOVICVS ZIELONACKI, Prior & Custos Tinecen: Præposit: Koscelnen: Ord: SS. P. N. BENEDICTI, librum cui titulus est, TINECIA seu HISTORIA MONASTERII TINECENSIS, à Rñdo Patre STANISLAO SCZYGIELSKI, Artium & Philosophiæ Doctore, prædicti MONASTERII TINECENSIS professo & Bibliothecario, nec non Theologiæ Moralis Lectore Ordinario, collectum, & in quatuor libros partitum, Typis publicis in lucem edi permitto. *Datum Tineciæ*, die 13 Octobr: *Anno* 1667.

Idem qui supra m. pp.



APPROBATIO.

Legi hunc Librum, & cum nihil contineat Catholicæ fidei, aut bonis moribus dissentaneum, & lectorem gratâ recordatione Antiquitatis delectet, do facultatem vt in lucem edatur. Cracouiæ, *die* 23. *Octobr: Anno Domini 1667.*

HYACINTHVS LIBERIVS,
S. T. D. Præposit: SS. Corporis
CHRISTI Can: Reg: Librorum
Censor. *m. propr:*

HISTO-

HISTORIÆ MONASTERII TINECENSIS.

LIBER I.

In quo,
Præmiſſo ELOGIO
FVNDATORIS,
Continua ſeries & breuis nomenclatio Reuerendiſſimorum
ABBATVM
TINECENSIVM
Continetur.

PRÆFATIO.



CVm iuxta Ecclesiastici consilium, *laudare debeamus viros gloriosos & parentes nostros in generatione suâ* : me rem debitam & prorsus necessariam agere censebis Lector, si Reuerendissimos Nostri Tinecensis Monasterij Abbates vbicunq; repertos, pro virili, ab interitu & obliuione adnitar & studeam vindicare. Laudari autem à nobis insigni virtute præstantissimos Herôes, Maiores nostros, & parentes familiæ, Ordinisq; nostri Antesignanos, nostra plus interest, quam ipsorum refert, hoc potissimum inducor argumento : si quidem illi gubernaculum Fidei viriliter olim tenentes, anchoram spei tranquillâ iam in statione composuerunt; iam & plenam cælestibus diuitijs & æternis mercibus nauem, optato in littore collocarunt; iam pleni & nullius egentes, liquidissimas Superum voluptates degustant, & gaudijs beatorum securi perfruuntur : nos verò medios inter fluctus seculi huius laborantis adhuc positi, multisq; expositi calamitatibus, exemplis illorum & imitatione, ad similia virtutum facinora incitari, & ad æqualem vitæ cursum, & generosum cum hoste peruigili conflictum, animari debemus; quo possimus etiam ipsi, tantis prouocati exemplis, virtute pari, deuotione consimili ac fide, in hac arenâ vitæ militantis dimicare, hostem vincere, & partâ tandem victoriâ, cum ijsdem prædecessoribus nostris, effecti gloriæ consortes eorundem, in cælestibus regnis æternùm triumphare. *Salustius* etsi à lumine veræ fidei alienissimus auctor, sed tamen Romanarum rerum scriptor florentissimus, in præfatione Belli Iugurthini, hoc ipsum argumentum sic expendit. *Quintum* inquit *Maximum, Publium Scipionem praterea, ciuitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere : cum Maiorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi; scilicet non ceram illam neq; figuram, tantam vim in sese habere, sed memoriâ rerum gestarum, eam flammam egregijs viris in pectore crescere, neq; prius sedari, quàm virtus eorum famam atq; gloriam adæquârit.* Idipsum ego factu necessarium, non vtile modo esse iudicaui, vt scilicet primos Tinecensis Monasterij Nostri Auctores & Patres, Reuerendissimos Abbates memoriâ recolamus, & ad eorum facta si præclara sunt, nostros pariter actus componamus; si quæ verò ipsi minus laudanda ac proinde nec imitanda commiserunt, sicubi exertarunt, exemplo illorum sapiamus caueamusq;. Hæc enim iudicio meo in cognitione præteritarum rerum præcipuè notanda esse existimo, vt documenta exemplorum in illustri posita monumento, sic intueamur, quatenus ad imitationem eorum accendamur, quæ autem fæda incæptu, vel exitu informia fuêre, velis omnibus remisq; fugiamus. Præterea *Cæcilius Plinius* grauis scriptor, in

epistola ad Marcum, refert auunculum suum *Plinium secundum*, somnio monitum, vt bella quæ cum Germanis gessêre Romani, ipse calamo conscriberet & ea posteritati legenda consignaret. *Astitit enim ei* inquit *quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniæ latissimè victor, ibi perijt: commendabat memoriam suam, orabatq; vt se ab iniuria obliuionis assereret.* Quo somnio Plinius excitatus, viginti libris continuis, præclara facta Germanici Drusi percensuit. Me non inane ludibrij nocturni spectrum vt Drusi, sed recta ratio & erga Maiores necessitudo admonuit, vt Monasterij nostri Tinecensis Antistites Reuerendissimos magnos plerosq; & excellentes viros, qui iuxta nobiscum in eisdem claustris ceu castris religionis stipendia meruerunt, in hoc loco claruerunt, ipsaq; Religionis Monasticæ prima incunabula Tinecij posuerunt, & aliqualiter inter tanti temporis fluxus & casuum vices conseruarunt: quibus ob temporum longinquitatem & iniuriam offusa caligo maxima, ab obliuione vindicarem, & aliqua literarum, ordinisq; luce illustrarem. Piaculum enim est non mediocre, eorum non meminisse, à quibus aliquid acceperimus: hunc ipsum locum quem incolimus, in eorum gratiam primùm dicatum dotatumq;, ipsi prius suis vestigijs triuerunt, factis egregijs nobilitarunt, & triumphis illustribus ex deuicto Mundo, Carne, & diabolo, gloriosè obtentis, insigniter exornârunt. Absit, nos superet Plinius; vt illum somniantem ad operosam scriptionem nocturna suscitet effigies, nos vigilantes, nulla grati animi memoria ad iucundam Cænobiarcharum nostrorun recordationem exstimulet?

Sanè quidem, cum Imperatoris Aureliani vitam à Latinorum nemine adhuc scriptam audisset olim vir illustris Vrb. Præf. Iunius Tiberianus, illicò ingemuisse magno dolore animi commotus, & hæc in verba proupisse, apud Fla. Vopiscum legitur. *Ergo Thersiten, Sinonem, cæteraq; illa prodigia vetustatis, & nos benè scimus, & posteri frequentabunt: Diuum Aurelianum clarissimum Prinipem, seuerissimum Imperatorem, per quem totus Romano nomini orbis est restitutus posteri nescient?* at quanto Aurelianus Thersite, Sinone, cæterisq; illis vetustatis prodigijs, maior & scitu lectuq; dignior; tanto aut sexcenties potiùs ipso Aureliano cæterisq; Gentilitatis prodigijs, maior & scitu lectuq; dignior Orthodoxorum Antistitum minimus. Illos igitur Gentiles, Poeticos, obsoletos, fabulososq; ex Mythologia Natalis Comitis viros, benè sciemus & legemus nos Religiosi, eosdemq; frequentabunt posteri? Præsules verò, & Tinecensis sodalitij prima decora, Vitæ claustralis Duces ac magistros, quorum pleriq; in Apotheosin & Catalogum Sanctorum meritò referendi essent; qui antecedaneos fratres nostros enutriebant, & sacris institutionibus erudiebant, qui ad spirituale certamen & cursum salutis subiectos sibi confirmabant & animabant, qui iam indubie æternam gloriam hereditant, perenniq? felicitate fruuntur, nesciemus nos posteri, & soboles spiritualis? DEVS (inquiebat idem Tiberianus) *auertat hanc amentiam.*

Hisce de causis ego, de Antiquitate & priscâ illâ nobilissimâ & excellenti

gloriâ Tinecensis Monasterij sæpenumerò apud me pertractans cum obliuionis vndis pleraq; eius Acta & Præsulum memorias, datas cernerem, explorando & perscrutando Archiuo Cænobij nostri me tradidi, vt memoriæ veteris monumenta ex abditis eruerem, & luci publicæ conspicienda darem. Et si verò non ijs me ceruicibus esse sciam, qui hoc onus scribendi faciliter perferre, suisq; numeris opus absoluere possim; neq; habeam auctores multos, qui Tinecensium res enarrauerint, quorum vestigijs atq; vigilijs insisterem, & hanc Spartam elegantioribus modis exornare, quodq; tractandum sumpsi argumentum, enucleatius explicare valeam: nihilominùs cùm mentem meam præteriti æui recordatio demulceat, & Tinecensis huiusce Conuentus nostri vetus gloria alliciat, amorq; pungat animum, editionis aleam iacio; tuum Lector iudicium æquo animo subiturus, scilicet, vt si labori nostro faues, suggeras, siue carpere gaudes, corrigas: ego vtroq; affectu vtar in vnum finem, emendandi & discendi. Si quid verò me fefellit aut fugit, sit venia; nemo est mortalium quem non aliqua pars ignorantiæ attingat, nemo ita industria aut ingenio potest, vt omnia colligat intelligat: multi enim multa sed nullus omnia, vel vnius hominis cuncta videre, vel memoriâ aut stylo complecti, nec renuo, imo posco, vt manum alius addat, quandoquidem.

Hæc mihi gleba satis, lectæq; è messe beatâ
Spcæ aliquot, forsan me audentior alter arabit,
Campum omnem, satis est sulcos duxisse priores.

Atq; inprimis sacra limina TINECIANÆ DOMVS subeunti mihi occurrit ante omnes Primus FVNDATOR Gloriosissimus, qui hoc REGII CÆNOBII sui PROPYLÆVM, Serenissimâ Maiestate conuestit.



DIVVS

DIVVS CASIMIRVS I.
REX POLONIÆ III.
CÆNOBII TINECENSIS FVNDATOR.





Vm decreuerim Tinecensium res gestas literis consignare, nihil est sanè vnde auspicatius illustriusq; principium, quam ab ipsomet Fundatore admirandæ sanctitatis Principe, desumi queat: non eò tantùm, quod Tinecense Dom[illegible]ium, loci amænitate commodissimum, prouisione cumulatissimum, prærogatiuis primarium, ad Polonæ reipublicæ splendorem & Nominis sui æternum decus superstruxerit, sed propterea etiam, quod CASIMIRVS ab ijs omnibus virtutum ornamentis cumulatissimè instructus fuerit, quæ ad celsissimum sanctimoniæ ac venerationis fastigium, Mortalium beatissimos efferre consueuerunt. Cuius eximiam vitæ sanctimoniam & singularem in tractandis rebus agendi felicitatem, cum iam in AQVILA POLONO-BENEDICTINA vtcunq; descripserim, hic ea solummodo attexere fert animus, quæ HISTORIÆ TINECENSI consentanea esse videntur. Ad quam rem commodè assumi posse credo, publicum illud & fidei antiquæ *Libri Beneficiorum & Monasteriorum intra Diœcesim Cracouiensem consistentium*, Testimonium, quod in Cracouiensi Archiuio Illustrissimo, & totâ Europa celeberrimo continetur, & cui recepta fides in Iudicijs publicis communiter suffragatur, vbi Tinecensis Origo Cænobij antiquitus descripta, his verbis recensetur. *Primarium Ordinis* S. BENEDICTI *in Diœcesi Cracouiensi consistens Monasterium, in Tiniec.* CASIMIRVS *Primus Poloniæ* REX, *qui ex Cluniacensi Monasterio in Gallijs, vbi iam professionem Religionis fecerat, & Diaconi Ordinem susceperat egressus, gubernationem & regimen Regni Poloniæ Benedicto PP. Nono dispensante, aßumpserat, Diuinæ benignitatis clementiam & beneficia, quæ illi & paternum auitumq; Regnum Poloniæ restituerat, pluresq; victorias de hostibus varijs extraneis & vicinis in circuitu Polonici Regni consistentibus, & gades terminosq; Poloniæ Regni vsurpare conantibus, contulerat recognoscendo: Duodecim Fratribus, quos ex Monasterio Cluniacensi in Poloniam aduexerat, Anno Domini Millesimo Quadragesimo Quarto Monasterium in colle petroso qui Tiniec appellatur, ad fluenta Vistlæ sito, fundat & locat, Ecclesiamq; Cœnobialem in honorem* S. PETRI *Principis Apostolorum fabricat, & dexteritate regia locum præfatum oppidis, villis, censibus, prædijs, cæterisq; id genus introitibus in dotem illi datis, locupletat, libertatibus quoq; plurimis priuilegiat, & vnum Fratrem ex duodecim adductis ex Gallia Aaronem nomine in Abbatem eligi assumiq;, qui & nitore vitæ, & religionis sanctimoniâ præcipuus inter cæteros habebatur, procurat. Tantaq; munificentia in præfatum Monasterium est vsus, vt nullius Monasterij ante & post in hanc diem fundati, fundus dotis tunc à* REGE CASIMIRO *præstitæ, & per Monasterium hactenus possessæ, potuerit æquiparari. Tantâ excellentiâ & prærogatiuâ à sui exordio perpetuò priuilegiatum, vt vniuersa Monasteria, Cellæ, & loca Ordinis* S. BENEDICTI *sub Prouincia Gnesnensi & in quibuscunq; consistentia Diœcesibus, Iure legitimo & præscripto, sint Abbatis Tinecensis pro tempore, iurisdictioni, & ordinationi subiecta. Procurauit etiam idem* CASIMIRVS Poloniæ REX *Monasterio à se fundato Ecclesiam Parochialem* S. ANDREÆ *in Tiniec, vetusti operis more de petrâ albâ fabricatam. (Decimis enim manipularibus, prouentibus, introitibus, cæterisq; id genus reditibus ad collationem & ius*

patrona-

patronatus REGIS, *plenariè pertinens fuerat quæſtuoſa,) uniri & incorporari: in cuius etiam nunc proprietate & dominio conſiſtit & perſeuerat. Amplificaßet autem* CASIMIRVS Poloniæ REX *præfatus dotationem Monaſterii Tinecenſis à ſe inchoatam & magna ex parte conſummatam, niſi ex rebus uiuentium fato parum ſperato fuißet ſubtractus. In cuius ſupplementum, filii ſui natu iunioris* VLADISLAI *(qui Hermanus appellatus eſt) conſors illuſtriſſima & miræ religionis ac deuotionis fœmina* IVDITH *Regina, filia Vratiſlai Ducis Boëmiæ, ex primâ vxore Adleidâ Vngariæ Regis Andreæ, gnatâ ſuſcepta, oppidum Opatowiec ſupra Viſlam ſitum cum aliquot villis; item, Villam Regiam Xiagnice cum aliis villis ſupra Nidzicam ſitis, Monaſterio præfato munificè de Viri ſui* VLADISLAI *Ducis & Monarchæ Poloniæ ſpeciali annuentiâ & conſenſu inſcripſit perpetuò & donauit. Cuius beneficii tunc accepti Monachi Tinecenſes memores,* IVDITH *Reginæ (propter excellentiam enim eminentem, morum, virtutum, ac generis, nemo illam aliter, quàm Reginam ſolebat appellare) in ſuis orationibus, obſecrationibus, & ſacrificiis, agunt ex nomine & ſingillatim memoriam ſpecialem, & in ſecundo illam, poſt primarium Fundatorem* CASIMIRVM *Poloniæ* REGEM *numerant loco. Ad petitionem inſuper* CASIMIRI *præfati Poloniæ* REGIS, *Racheliuus Archiepiſcopus Cracouienſis, plerisq; Decimis manipularibus Epiſcopalis ſuæ menſæ, Monaſterium Tinecenſe præfatum inſigniuit & dotauit. Cui Aaron, eiuſdem Monaſterii Tinecenſis Abbas, in Pontificatu ſuccedens, amplioribus Decimis Epiſcopalibus locum ipſum extulit & celebrem reddidit: prouidens, priuilegiatis, & perpetuo decernens edicto (quod & in præſentem diem manſit illi ſolidum atq; ratum) vt quilibet Abbas Tinecenſis, in ſignum ſuæ excellentiæ, præſtantiæ & dignitatis* CRACOVIENSIS CANONICVS *cenſeatur: & non ſecus quam Prælatus aut Canonicus Cracouienſis, vtatur in Eccleſia Cracouienſi, Canonicali Almutio & ſtallo chorali Canonicis debito. quod quidem tam pulcherrimum clenodium & inſigne ornamentum, neminem ex omnibus Regni Poloniæ Abbatibus & Præpoſitis videmus rapuiſſe, ſed nec aliquem ex Monachis præter hunc ſcimus, pedum Pontificale in Cracouienſi Diœceſi & Eccleſia geſtaſſe, &c. Porrò Monaſterium Tinecenſe in Arce petroſâ & arduâ ſitum, quam fluuius Viſtula præterfluens abluit, habens Eccleſiam Cœnobialem & cellas atq; officinas Monaſterii muro fabricatas: Arx autem ipſa & manibus, & turribus, cæterisq; propugnaculis notabiliter eſt communita, quæ nocte & interdiu in aſſidua tenetur cuſtodia; pulchrum patriæ clenodium, & fortis contra hoſtiles inſidias munitio, locus vetuſtus & in quo etiam in prioribus ſtatibus propter eminentiam collis nunquam Arx deerat. Eſt ibi prædium notabile Cœnobii habens citra duos laneos, de cuius agris nulli ſoluunt decimam, ſed eam pro ſe tollunt & in horreum ſuum inducunt, præter vnam portionem quæ Vinea dicitur, & quæ confinat ſepi horti vlterioris, de qua decimatur Plebano* S. ANDREÆ. *Item, eſt notabile pomarium plures habens arbores fœcundas & largas. Item ſunt duo horti ſub monte, in quibus feruntur & plantantur caules cæteræq; herbæ coquinales. Item tertius hortus, ceraſis conſitus, habens plures apum truncos &c.* conſequenter oppida, prædia, villas ad eundem Conuentum Tinecenſem ſpectantes, præfatus Liber Beneficiorum recenſet, quæ à me Libro II eiuſdem Hiſtoriæ breuiter interſerentur.

Eſt præterea in periſtylio Monaſterij Tinecenſis, HISTORIA CASIMIRI

REGIS,

REGIS, in viginti prægrandibus tabulis eminenti loco appensis, clarissimi artificis expressa penicillo; vbi series Vitæ eius & gestorum quorundam illustrium artificiosa delineatio, simulq; Tinecensis Cœnobij Erectio repræsentatur. quam omnem picturam vti elegantem satis & splendidam, in æs incisam insculptamq;, his ipsis chartis libri huius appressam, spectandam Lectoribus meis exhibere proposueram, verùm idoneo destitutus sculptore, argumenta Imaginum adstricta calami narratione ad præsens euulgo; adiectis cuiq; binis versibus, quibus vates non ignobilis picturas animauit. Et quidem

I. Tabula, effigiat, Natalia CASIMIRI, quorum tempore insolitus terræ motus euenerat, ex quo aulæ Regiæ stupentes ministri, diuersos ominantur euentus. Iconem hoc Distichon exornat.

Terra tuos dum forte tremit Casimire sub ortus,
Ad cunas visa est læta salire tuas.

II. Tabula, continet Rixæ Reginæ clandestinum è regno ad Teutones secessum, quæ à morte Miecislai Regis, accepto CASIMIRO & regio thesauro, Regni Diademata Henrico Imperatori suo auunculo offert, & filium CASIMIRVM Parisios studiorum causa ablegat. versus

Rixa Lechis inuisa fugit, tollitq́, Coronas,
Plus tamen in nato sustulit illa suo.

III. Tabula, in quâ CASIMIRVS Regalibus abiectis, Monastico habitu inuestitur, hanc præfert Epigraphim.

Dum seruire Deo, regnum CASIMIRE putasti,
Cluniaci sacram suscipis ecce togam.

IV. Tabula funestum incendijs, rapinis cædibusq; Interregni tempus, & multiplicia bella exhibet cum hac inscriptione,

Heû miseram Lechiæ faciem discerpta tot armis,
Ad te suspirans dum CASIMIRE gemit.

V. Tabula, Dynastas & Proceres Regni, de subueniendo calamitati publicæ in comitio deliberantes, habet cum lemmate

Heredem patrii CASIMIRVM quærere regni
Iam grauibus statuit Lechia fessa malis.

VI. Tabula, oratores Polonorum ad quærendum CASIMIRVM missos, Abbati Cluniacensi pro eo dimittendo supplicantes, refert.

Lechica Cluniacum tandem legatio venit.
Ad fasces patrios te CASIMIRE vocans.

VII. Tabula, Purpuratorum Romanæ Ecclesiæ Patrum, Patrisq; Patrum Supremi placito, afflictæ Poloniæ donatur Monachus, REX.

Indulget precibus Lechiæ Romana potestas
Et solui votis te CASIMIRE iubet.

Fundator Monasterij Tinecensis

VIII. Tabula, Regina Poloniæ RIXA, constructis duobus Monasterijs in Alemania, cum in vno eorum deuotè ageret, à CASIMIRO in Poloniam reuertente inuisitur; à quâ de Regalibus Coronis apud Cæsarem depositis edoctus, eundem CASIMIRVS accedit, & recipit diademata. Picturæ apposita epigraphe.

Inuisit matrem CASIMIRVS, *fertq; Coronas*
Cæsaris è manibus sceptra paterna petens

IX. Tabula, Venienti CASIMIRO festiuas salutationes à Proceribus Poloniæ institutas refert.

Lætitiæ mirû CASIMIRVM *Lechia votis*
Excipit & plausus non capit ipsa suos.

X. Tabula, Pompam Coronationis in frequenti comitio exhibet.

Iam regni diadema capù solijq; paterni,
Culmina summa tibi REX CASIMIRE *patent.*

XI. Tabula, Solennitatem desponsationis continet, cum hoc disticho:

Principe Russorum CASIMIRVS *stirpe Mariam*
Accipit in sponsam festaq; latus agit.

XII. Tabula, Atrocis prælij schema continet, de quo versus,

Iacuingas, Litauosq; truces, CASIMIRE *fugasti*
Namq; tuâ pugnat pro pietate DEVS.

XIII. Tabula, Cruenta prælia & strages multas præbet.

Masouios, Prussosq; ferox Maslaus ad arma
Concitat, vt victos tu CASIMIRE *domes.*

XIV. Tabula, Effigies cogitabundi Regis & somno abrepti depingitur, quem Angelus in visione de victoriâ certum reddit. hoc carmine addito.

Hostem cur metuis numero CASIMIRE *tumentem,*
Aliger in somnis Spiritus ire iubet.

XV. Tabula, Concursus exercituum atrox depictus est, vbi niueus in àëre Eques à parte Polonæ phalangis in hostiles turmas inuehitur.

Omen habes felix victor CASIMIRE *redibis*
Angelus ipse viam monstrat ad arma tibi.

XVI. Tabula, Vigesies octies diuersis prælijs victor REX CASIMIRVS, tandem conciliata pace, Regnum legibus communit. Iconem hoc Elogium ornat,

Pax secura tuis parta est CASIMIRE *triumphis*
Iam vacat in solio dicere Iura tuo.

XVII. Tabula, Duodecim Monachi BENEDICTINI, à Rege humanissimè excepti, in Regiam deducuntur.

Dilecti quondam memor Ordinis, excipis vlnis
Cluniaco missos, REX CASIMIRE *Patres.*

XIIX. Arx TINECENSIS in Cænobium conuersa, Patribus inhabitanda à Rege commendatur.

Regia quæ struxit CASIMIRVS *Claustra Tineci*
En BENEDICTINIS *Fratribus ipsa dicat.*

XIX. Tabula, Beatus AARON Primus ABBAS TINECENSIS, in Archiepiscopum Cracouiensem solenniter consecratur.

ABBAS *spectata Primus virtute* AARON
Præsuleâ Craci cingitur ecce mitrâ

XX. Comete portendente mortem CASIMIRVS obit cui ingemit vates.

Heû moreris Vindex Patriæ CASIMIRE *Parensq́;*
Tam bona mors fuerat, quam pia vita tibi.

Eiusdem CASIMIRI, REGNVM Religione permutantis admirabile facinus in Icone subiectum, Epigramma tale indigitat.

Innocuus cum matre puer CASIMIRVS, *eodem*
Exilio, matris crimine, pulsus erat.
Cluniaci placuit sibi vita monastica, seruus
Quàm cuiusquam hominis, maluit esse DEI.
Nos sumus interea sine Principe, subdita cunctis
Terra (dolor fuerit quæ numerare) malis.
Reddimus eiecto Regnum multa ille reuersus
Restituit melior, vix patre dignus, Auo.
Maslaum domuit ciuili Marte furentem
In reliquos mansit pax sibi grata dies
Quod DEVS *innocuis adsit, quod corruat insons*
Maiori vt surgat laude: videre potes?

In vestibulo item hyemalis Cænaculi TINECENSIS, eiusdemmet CASIMIRI effigies sub hoc quadristicho conspicitur.

Hic vbi priscorum sunt Asceteria Patrum
Prærupta rupes, tesqua fuêre prius
Hæc CASIMIRE *tibi debetur gloria terris*
Vtile cui cælum cessit in obsequium.

Porrò vt Diuinissimi Principis CASIMIRI, sub vno aspectu, compendiosam vitæ eius Epitomen Lectori exhibeam, Historico-Politicum Elogium cum Panegyri Lyrica Patris Ines ex Lechiade sisto.

Fundator Monasterij Tinecensis,

CASIMIRVS I. POLONORVM REX III.

Religiosus planè Princeps
E claustro ad solium, è Cuculla ad Purpuram profecit.
Tutissimus, nempe, *trames est, ad sublimia per decliue.*
Nemo vnquam tutius in publico apparuit,
Quam qui maximè priuatus, latere didicit.
E Paterna Maternaq; Hæreditate,
Cùm nihil, præter scelera, reliquissent;
Nihil, præter sanguinem, accepit:
Hunc etiam refusurus, nisi ab optimo fonte fluxisset.
Attremuit nascenti concussa tellus, nouo miraculo commota;
Quod pessimi Parentes, optimum genuissent.
An non tam trepidasse, quàm tripudiasse, eam dixerim!
Illum Principem natum, sinu suo excipiens,
Sub cuius felici regimine, aliquando respiraret;
In noui testificationem gaudij, exiliit.
Nec vanum id fuit exultantis Elementi tripudium,
Etiam tunc Optimus Princeps CASIMIRVS
Cum vtriusq; Parentis exemplo, vix potuit esse non pessimus:
Virtutibus suis ex raritate pretium fecit.
Portentum enim *est à Parentum vitijs degenerasse*
Post vnius Parentis è vita, alterius è Regno excessum,
Alieno scelere innocentissimus Exul;
Vtriq; imputare debuit,
Quod à Polonis non nisi absens desiderari potuerit.
Matrem tamen non tam moribus, quàm pedibus comitatus est:
Felicior illa Mater quàm vxor:
Optimum nobis filium dedit ipsa pessima.
Nocuerat CASIMIRO, ab hac fuisse genitum;
Nisi vtriq; sorti par, de vtraq; triumphasset:
Par Fatis visus, cui tamdiu Fortuna colluctaretur, nec vinceret.
Adulta Principum virtus,
Etiam inter impedimenta propagatur, & crescit:
Immò *ab aduersis (vt lux à tenebris) magis intenditur.*

 Parisios

Parisios è Regno profectus,
Quam sceptro non potuerat; calamo manum impleuit:
Pro Corona Aurea, Laureâ Apollinari coronandus.
Quanquam nec alia ei Corona defuerat,
Quâ deuotum DEO caput, in Asceterio Cluniacensi,
Regno, Mundoq; maior, redimiuit.
Tandem cùm sui imperium, adeò feliciter inuasisset;
Jn Polonis sui desiderium excitauit.
Dignus iam iudicatus, qui vt regnaret, rogaretur.
Sed non debuit tantum pignus, sine magnâ obtineri impensâ.
Coacti rogare, cui Regnum abrogarant Ciues
Sceptrum vltrò offerre, iniuriam deprecari,
Fidem & obsequium omne polliceri.
Nimirum, *facilius magna bona amittuntur, quàm redimuntur.*
Par iam fuerat sceptro contemnendo, CASIMIRVS.
Satis ratus, eo, quo exclusus fuerat Regno, dignum iam videri
Meruisse contentus, habere contempserat.
Meriti dignitas supra ipsa præmia attollitur.
Et si benè suffragium ponimus,
Maior est gloria dignitatis, quàm felicitatis.
Adeoq;, *maius est felicitate dignum esse, quàm felicem fuisse.*
Ergò calcatis omnibus, se ipso altior;
Sui Regnum, Regno nobilius reputans; oblatos Fasces repudiat.
Supplicatum proinde Romano Pontifici,
Ab eoq; sacris vinculis absolutus;
Libero Regno, liber restituitur CASIMIRVS, REX Diaconus;
Ac septennali Interregno,
Ipsisq; Regni calamitatibus, finem facit.
Ita felicissimus, in vtraq; Fortuna Princeps,
Post varia experimenta Fortunæ,
Minus quidem aliquando fauentis, sed nunquam iratæ,
Quod Parentum iniuria amiserat, sua virtute obtinuit.
Caue, ne seuerioribus in eum Fatis, indigneris.
Non statim suâ se facie pandit Fortuna.

sapi.

Sæpè diu alieno vultu latet;
Etiam tum, cùm creditur inimica, amicissima.
Fallitur quisquis eam è prima fronte æstimat.
A tergo etiam circumspicienda est.
Incognitæ plerumq; sunt, magnæ Felicitatis viæ.
His CASIMIRVS ad Paternum solium ductus,
Non Ariadnes sed virtutis filo,
Adeò perplexum, euasit Labyrinthum.
Quæris, quis tum rerum status in Polonia fuerat?
Non tam status, quàm ruina fuit.
Cum omnia in Regno, turbulentissima inuenit CASIMIRVS,
(Quale enim aliud à septennali Interregno, Regnum expectares!)
Ægerrimam Rempublicam, lenta manu curare aggressus est.
Quo id factum putas successu? felicissimo,
Jpsis hîc quandoque remedijs peccatur.
Et nonnunquam plus periculi est, à medico, quàm à morbo.
Sæpè, qui ægram Rempublicam tantisper, pati non possunt,
Faciunt nullam.
Cum mora, vitijs mederi, optima quia tutissima curatio est.
Jmpatiens medicus, morbo ipso peior creditur.
Et quia maximum est ad viri felicitatem momentum, vxor proba.
Hanc in vicina Rossiæ Ducum domo inuenit CASIMIRVS.
Optimum ei in connubio, ex consortis nomine omen.
Religiosissimus Princeps,
MARIAM sibi dotali fædere copulauit.
Hæc, ne ominis veritatem, in dubium voces,
ANNA Matre genita:
Jllius memoriam Marito instillabat,
Quam sanctiori vitæ deditus, iam olim sibi delegerat in sponsam.
Verùm DOBROGNEVAM postea MARIAM hanc dici placuit,
Ne Sanctissimum Deiparæ Nomen,
Jn tantâ etiam Maiestate, vilesceret.
An? vt Regina, socrûs suæ prauos furores corrigeret;
Ac pro *malè irascente* RIXA,
DOBROGNEVA, id est, *benè irascens* diceretur.

 Ad eum

Ad eum modum amoribus suis circumscriptis CASIMIRVS,
Ciuium suorum domestica dissidia adeò feliciter composuit;
Vt RIXA matre genitum dubitares.
Hostes tam facile, quàm se, olim, sibi subiugauit.
Neque id arduum fuit illi Principi,
Qui æquè Militares ac Religiosas virtutes coluit.
alias, *rara est istarum concordia.*
Mars, irreligiosum, planè, Numen,
Raro pietatem sub signis suis numerat.
Sed quia hanc semper in castris suis CASIMIRVS recensuit;
Toties victor, quoties pugnator:
Dici potuit, ipsammet victoriam, inter stipendiarios numerasse.
Maslaum Mazouiorum Ducem,
Cum ingenti Prussorum, Iazuingarumque exercitu,
Ita fudit: vt ipse fortitudini suæ succumberet:
Absurdam cogitationem Principis arbitratus,
Maiorem suæ, quam suorum, salutis curam habere.
In acie igitur ad supremam virium defectionem dimicans:
Ne omnino tam palmari victoriæ, immoreretur,
Militis vnius virtute stetit.
Qui semianimem CASIMIRVM in Castra deferens,
Ingens gloriæ & fortunæ suæ pondus tulit
Victoriæ huic, Maslaus, ex alta trabe pendulus,
Triumphalem addidit Appendicem:
Et cum victoris vincula fugit, ipse se in laqueum induit.
Ad summa quæque, per summum nefas connisus;
Ita supra reliquos debuit eminere.
Diceres, ne Victorem CASIMIRVM appellaret,
Vocem sibi ipsi vltrò præclusisse.
Aut quod communior fert opinio;
Prussos suorum, quos Maslaus duxerat, cæde motos,
Impotentem, superbissimi Ducis, spiritum,
Quod adeò turpiter insaniisset, reste alligasse.
Id est, auaram Regnandi gulam; funesto fine & fune præfocasse.
Impotenti Maslai spiritu

Ac im-

Ac immaturâ regnandi ambitione præfocata;
Tota Prussia, CASIMIRI arbitrio vltrò se permisit.
Sed & CASIMIRVS, partâ manu pace,
vt Numini litaret pro victorijs:
Spolia detracta hosti, contulit in Cænobia
TINECENSE & Lubusense trophæorum suorum reliquit monumenta.
Vtque, Patriæ Patrem, &
Restitutorem Poloniæ, se *benè-dictum* probaret,
BENEDICTINOS in Polonia fundauit, dotauit, magnificauit.
Votorum suorum Æmulatores Fratres.
Tandem nullum amplius habens in Regno vindicato,
quem timeret Hostem,
Cum sanctè religioseq; in omnibus ageret,
Sensit inimicam mortem Anno Domini, M. LVIII.
Regis huius pretium, vt bonum æstimare scias,
vel exinde collige Lector,
Nunc etiam MONACHVS REX Annuo censu,
à Polonis redimitur.



CASIMIRO I. REGI POLONIÆ III. Monasterij Tinecensis Ordinis S. BENEDICTI, FVNDATORI MVNIFICENTISSIMO, Panegyris Lyrica.

Qua te scelesto dissimilem Patri
Inter Polonas Gratia fascias
Nutriuit? inuictoq; magnum
Pectus Auo, Proauisq; mentem
Incoxit ausis. Rarior aspici
Est visa proles, quæ vitijs graui
Descisset à Patre, & profanos
In melius reuocaret ortus.

Nun.

Nunquam Leones parturijt lepus,
Aut dama lyncas. *Quin citius nouos*
Remosq́ Romulosq́ rursum
In Latijs Lupa pascet aruis;
Quam molliori Patri, animosior
Succrescat Hæres. Te tamen integer
Morumq́, Virtutumq́ candor,
Et socio CASIMIRE, *Iustum*
Impleuit Æquo. Tu venientibus,
Quos sera gignent tempora, Sarmatis
Illustre portentum & decora
Ingenui soboles Honesti
Dicêris olim. Te licet impio
Ignaua Mater lacte & inermibus
Nutriuit infantem medullis,
Atque suo puerile pectus
Fædauit astro: Te tamen i licet,
Intaminata Relligio manu
Non erubescendis recudit
Artibus, innocuaq́ rursus,
Mentem & Virilis robora pectoris
Firmauit irâ. Te Latij Pater,
Iam castra virtutis secutum
Castra tuis, BENEDICTE, *quondam*
Firmata claustris, Sarmatico parem
Indulsit aruo. Te celer Istula
Adhucq́ demessi relictum
In medio capitis manipulum
Gestans Polonus. *te memorem sibi*
Latè reductis pingit in ædibus;
Tuoq́ condemnatum, adusq́
Nunc etiam, caput, esse Voto
Non erubescit. Te TINECENSIA,
Nunquam obsoleto claustra silentio
Dixiße, Vicinasque gaudent
Munificum docuisse ripas.
O! si Polonos nunc etiam leui
De nube spectas; discute nubilas
Regniq́ Ciuiumq́ rixas
Et niueos Lechiæ, Lechiq́

Precarè

Precare mores. Sic tibi Regios
Stellata cæli semita lactei
Desacret axes: Sic Polonus
Indomito fremat are Mauors

Neque verò gentis Polonæ scriptores, Diuum CASIMIRVM Primum Regem Poloniæ, ab insigni pietate vitæq; sanctimonia laudauerunt soli; cùm fortè non nemo, domestica illorum testimonia, minus exploratæ fidei habenda iudicaret. Placet insuper, locupletissimum innocentissimæ Vitæ eius ab Ordine BENEDICTINO fide optima datum, & vniuerso orbi publicè exhibitum testimonium, in præsenti proponere; cui nec falsitas vel adulatio subesse potest, vtpote ab extraneis scriptum, & multi temporis indagine satis exploratum. MENOLOGIVM BENEDICTINVM antiquæ veritatis à BVCELINO editum opus, ad diem 28 Nouembris, solennem de Casimiri Primi regis Poloniarum, rerum gestarum excellentiâ & sanctimonia vitæ, encomiasticam testificationem huiusmodi, quam verbis Menologij recenseo, vt fides relatis certior adhibeatur.

Quarto Calendas Decembris. Posnaniæ in Polonia, Natalis Beati CASIMIRI *huius nominis primi Poloniæ Regis, qui ex Monacho Cluniacensi, permittente summo Pontifice, ad Regiam subleuatus est dignitatem.* CASIMIRVS *Miecislaum Regem Patrem, Rixam Ezelini Principis filiam, Othonis II Imper. neptem, matrem habuit. Patre mortuo, cum minorennis etiamnum, eoq; minùs imperio aptus haberetur, matre interea imperante, & exactionibus quibusdam Regnum vexante, Regiâ cùm matre exactus, exul in Galliam concessit, & studiorum gratiâ, primum Parisijs substitit, debinc in Italiam commigrauit; vbi aliquot annis commoratus, cùm celebre ob sanctitatem toto terrarum orbe Cluniacense Cœnobium plurimùm deprædicari audisset, eo contendere non differens, adeò loci Religione delectatus est, vt purpuram illicò cucullo permutaret. Illic Sanctum Odilonem Magistrum nactus, magnis virtutum profectibus magnus euasit, mutatoq; in professione Monasticâ nomine Carolus appellatus, & Diaconus ordinatus, animi demissione plurimum excelluit. exemploq; omnibus & spectaculo fuit. Regno interea, & externorum odijs, & seditionibus intestinis quassato ac penè pessundato, cum iam septennium in Cœnobio exegisset, à Poloniæ Proceribus, enixissimis precibus, vt rediret exoratus, & à summo Pontifice iussus, ægrè admodum Cluniacensibus valedixit, & sceptro ac diademate se insigniri passus, ijs conditionibus, Religionis votis à Romano Pontifice absolutus est, quibus æternum constaret, Polonos lectissimum è Monachis Regem habuisse.*

1. *Erat, Vt Poloni singulis diebus Mercurij ieiunent, vnicâ tantùm refectione contenti.*
2. *Vt ijdem omnes rotundâ in morem Monachorum tonsurâ capillorum vtantur, nec vltra auriculas ritu barbarico, quisquam omninò comam promittat.*
3. *Vt festis solennibus, dum sacra peraguntur, singuli Equites fasciam lineam candidam, in modum stolæ quâ in sacris vtuntur Sacerdotes atq; Diaconi, è collo suspensam ferant.*

4. *Vt de singulis capitibus, exceptis Nobilibus & sacris, tres oboli & cribrum auenæ in lucernam perpetuò in Diui Petri æde arsuram pendantur, &c.*

Iuuit quamprimùm & egregiè restituit Regnum afflictissimum REX *Sanctus, Bòëmisq; ac Maslao Plocensium Duce edomitis sæpiùs triumphauit, & prodigiosam aliquando singulari Numinis ope Victoriam retulit, aliaq; inter merita Silesiam etiam Regno adiecit. Tanti ab omnibus factus, vt superstes etiamnum Patriæ Pater appellatus sit, & à morte præcipuus à Diuo Adalberto Regni amplissimi Tutelaris, quin & ob idololatriæ profligatæ reliquias Apostolus salutatus. Condidit aliquot potentissima Ordinis nostri Cœnobia, ijsque Cluniacensium suorum colonias induxit: cum annos 17 Sanctissimè imperasset, plenus meritis Boleslao filio Regni successore relicto ad Palatia æterna emigrauit Anno Christi 1058.* Hæc de CASIMIRO FVNDATORE TINECENSIS MONASTERII Menologium BENEDICTINVM. quo misso interea ad ABBATES eiusdem MONASTERII transeamus.



Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes, in domibus suis, omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus, *Eccl. 44.*



E L O G I A
ABBATVM TINECENSIVM, Ordinis S. BENEDICTI.

B. AARON

B. AARON GALLVS, PRIMVS ABBAS TINECENSIS.





ARON nobilissimo apud Gallos genere natus, cum à primis annis delicias suas in cælo collocasset, in MONASTERIO Cluniacensi, sub ABBATE SANCTO ODILONE, vitam regularem est professus. Jam vero eo tempore, Cluniacensium Monachorum Sanctitas, & Cænobij nomen illustriori vbiq; celebrabatur famâ ob Sanctam & gloriosam Reformationem, quam S. ODO illius loci in ordine Antistes secundus feliciter inchoauerat; qui totius Ordinis BENEDICTINI à sede Apostolicâ constitutus Reformator Generalis, tantùm Exemplo, Doctrinâ, & Auctoritate effecerat vt Monasteria & Prioratus eiusdem Ordinis, seueriori regularium legum assumptâ obseruantia, plura quàm bis millena, in vnius Congregationis formâ conuenerint, & Monachi illius, longo tempore in regulari perfectione & Sanctitate fuerint conseruati: apud eos tunc AARON, tanquam in nido & seminario perfectorum religiosorũ, Monasticæ grauitatis & Sanctimoniæ exempla collegitest sublimiorisq; scientiæ cognitionem in tantum, assecutus, vt inter primos & præcipuos Archicænobij illius Ascetas, facilè principem locum habuerit.

Jnerat verò seruo DEI AARONI à primâ statim ætate excellens in mente pietas, zelus in cultu Diuino, ardor in cælestium contemplatione bonorum, infractus in laboribus pro assequendâ cordis puritate sustinendis animus, & continuum in virtutum contentione studium. non ei titillationem aliquam illud crepitaculum vanitatis Generis nimirum antiquitas & Doctrinæ ampla cognitio admouebat; sed profundâ animi submissione, in fluxarum rerum contemptu, & cælestium admiratione defixus, caducam vitæ conditionem, humanarumquè varietatẽ rerum & inconstantiam animo diligentiori reputans, & hominũ insigni olim fortunâ florentiũ miserabiles exitus in memoriam crebrius reducens, omnibus Corporis & Fortunæ bonis omninò diffidebat; ita vt nunquam secundis rebus & ad uoluntatem fluentibus extolleretur, sed cum vel maximè cum illæ impeterent protitarentq; mentem Prudentiæ munere fruebatur. Cumque virtutes, Asceticorum opinione, ita copulatæ sint, vt qui vnam habuerit, opus sit reliquas omnes habere, cum id earum requirat perfectio; vel in catena dum primus trahitur annulus, reliqua compa-

ges

ges sequitur annulorum: ita in AARONE virtutes adunatæ, insigni agmine in eo constiterant. Id quoque ex mente & institutis Almi Patris Nostri BENEDICTI cognouimus, virtutum Matrem Humilitatem, multas excellentes Probitatis filias suo complecti sinu; hanc Altricem perfectionis totius ita comparauerat AARON cælo annuente, vt in eâ ceu fundamento feliciter alias superstruxerit virtutum summitates. Hinc illa eius morum præclara innocentia, sensuum moderatio, à rebus terrenis auersio, mens iugiter tendens ad cælum, frequens sermo de DEO, modestia cum affabilitate, grauitas cum vrbanitate, interrogatio cum discretione, locutio prudenter temperata. Humilitas DEO grata, & dulcis hominibus, & AARONI amicissima virtus, tantum in eo perfecerat, vt & sensibus frenum iniecerit, affectus perdomuerit, mundum spernere docuerit: ex inde fauores aliorum, siue ad corporis commoditatem, siue ad præcedentiæ gradum pertinerent, submissè respuebat; solius verò ornatum animi, non speculatiuâ cognitione rerum, sed practico exercitio virtutum firmabat, temperabat, nihilq; in vita pulchrum, nihil firmum, nihil excellens iudicabat, quod non sentiret esse charitate illâ Diuini luminis illustratum.

Et vt summatim cæteras AARONIS complectar virtutes, cum impossibile sit singulas persequi numerando, in eo, præter iam memoratas, erat industria in agendo, celeritas in conficiendo, patientia in perferendo: mores non minus faciles & amæni, quam graues & sedati; sermo cuiq; placidus & multâ humanitate temperatus; cæteræq; animi & ingenij dotes, quæ illum omnibus carissimum effecerant, quibus admirabilis & venerandus euaserat, propter quas ab omnibus amabatur. Cumquè omnium animos occuparet eisquè cordi esset, singulariter tamen CASIMIRVM Poloniæ Principem & Monachum Cluniaci tunc factum, in sui amorem prouocauerat, qui in frequentissimo illo & illustrissimo Conuentu Monachorum perspiciens AARONEM tantis ornatum virtutibus, tantis charismatibus à DEO donatum, tot perfectiones Christianas in se continentem, earum illectus fragrantiâ virtutum, totus in eius rapiebatur amorem: dumq; CASIMIRVS perfectionis auidus æquè, & bonorum æstimator esset, ad monita & exempla venerandi Magistri AARONIS, actus suos fingere, componere mentem, spiritum erigere nitebat-

nitebatur; ab eius exemplo, zelo sanctioris vitæ incendebatur; illo consulente & subinde hortante, Mundi vanitatem, & Monasticæ præstantiam vocationis expendebat; ab illo discebat, modum Orationi quâ vocali, quâ mentali fructuosè insistendi, passiones naturales, per custodiam sensuum & mortificationem cohibendi; præterea, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentem vsum, Confessionis præsertim, per apertionem quotidianam motuum internorum, per cordis & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumq; silentium, ad veram sui abnegationem, ad perfectam imitationem vestigiorum CHRISTI, ad apicem supremæ semperq; mansuræ felicitatis perueniendi rationes & modos CASIMIRVS edocebatur.

Fecerat verò in vitâ Religiosâ amplos passus, iamque vberem virtutum sementem, ex claustrali culturâ collegerat CASIMIRVS, tali præeunte Magistro & ductore; iam non suo Nomini decus, sed Animæ salutem parabat, iam non popularem famam, sed Diuini Numinis ardentem flammam sectabatur; iam quasi alter Helias ignitæ charitatis viatico, ad immortalitatem eluctabatur. Et ecce, cum sui imperium adeò feliciter CASIMIRVS inuaderet, in Polonis desiderium sui excitauit; dignusq; est iudicatus, qui vt regnaret apud eos, ab ipsis rogaretur. Romani itaq; Pontificis authoritate & iussu, à sacris vinculis Monachatus & Diaconatus absolutus, & ad sceptrum hæreditarium reuerti compulsus, post quam Poloniam septennali Interregno diuexatam, paci restituisset, finitimosq; hostes Prutenos, laçuingas, Roxolanos, Mazouios cum suo Maslao deuicisset, & auulsas à sceptro Poloniæ Prouincias vindicasset, paceq; & tranquillitate Poloniam recreasset: hic Rex tot victorijs exaltatus, bellico absterso sudore, conditionis prioris Monasticæ, cui semper animo deuotus fuit memor, vt suam in BENEDICTINOS gratitudinem testaretur, suumq; Cluniacensibus affectum probaret, missis eo nomine ad Cluniacenses Nuntijs, orare se significauit, vt ad nouam Erectionem duorum Cænobiorum, quæ in perpetuum amoris sui erga Ordinem BENEDICTINVM monumentum fieri præcepisset, AARONEM Venerabilem virum, cum Fratribus ali-

quot

quot ad se in Poloniam mittere dignarentur. Quo nuntio Cluniacenses insigniter exhilarati, tàm quòd alumnum suum Diuina Prouidentia tantis victoriarum nobilitasset trophæis; quàm quòd penè euersæ per interregnum Poloniæ ad fidem nuper CHRISTI conuersæ, auxiliare brachium Dominus porrexisset: ad amplian-dam itaq; gloriam Diuinam, & ad decus Ordinis promouendum, nec non advotum Principis inuitantis explendum AARONEM cum alijs Duod cim Monachis, qui Collegium Apostolicum duodenario signabant numero, quiquè AARONI Antistiti subessent, & nouæ Ordinis apprehenderent colonias, instituerentq; Claustra, actis Regi munifico gratijs, in Poloniam submiserunt.

Quantâ lætitiâ Principis animus, in aduentu desideratissimi gestierit AARONIS, quo vultu festum egerit cum hospitibus diem? eximia eius in TINECIAM collata liberalitas, perpetuis temporibus Monumentum stabit. Suscepto verò TINECENSIS Monasterij gubernandi munere, AARON satis gnarus, non ad otium & delicias sed ad curas laboresq; vocatum se, primùm statuit sibi non parcere, nihilq; omittere, quod ad Primi Institutoris sanctè obeundum munus, quod ad Nouæ Vineæ plantationem commodè adaptandam, quod ad ABBATIS debitam diligentiam serio adhibendam circa se, vel ad eorum qui sibi commissi essent salutem promouendam, nosset pertinere. Cumq; Tineciæ ceu in speculâ Vigilantissimos Bellatores collocare optaret, quidquid ad perfectam disciplinæ Religiosæ Ideam, & ad formam benè ordinati Cænobij, tam ex Regula Sanctissimi Legislatoris BENEDICTI sciret, quàm ex longo Cluniaci inter eximios sanctioris vitæ sectatores conuictu didicisset, totum ad profectum suorum disponebat. Ad quam rem facilius consequendam Numinis supremi adiutricem implorabat manum, Sanctorumq; patrocinium submissius deprecabatur, vt sibi Vineam Domini Sabaoth nouiter implantanti, & nouum TINECENSI in Arce Propugnaculum, ad vastandum Mundum, ad subigendam Carnem, ad debellandos infernales hostes, erigenti & munienti; in tanto molimine occupato, superne ferrè succursum dignarentur. eâq; de causâ, vitam quam hactenus inculpatam & innocentem traduxerat, nouis ac feruidioribus virtutum actionibus studebat exornare, vt se exhiberet Formam commisso gregi, & toti

& toti Sarmatiæ Exemplar imitandum. Considerabat enim se Genti Polonæ in lucernam missum, Pio Regi in solatium, Fratribus in Moderatorem: idcirco amorem innocentiæ quam omnibus commendabat, ipsâ suâ conuersatione demonstrabat, aliorum errata suis actibus condemnabat, eratq; vir secundum cor DEI, & in conspectu eius perfectus. Primum quoq; Noui Monasterij ABBATEM, se circumspiciens, illa monita ABBATVM Gemmæ & Licurgi Monachorum SS. P. BENEDICTI continuò mente versabat, ABBAS *qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet quod dicitur, & nomen maioris factis implere*, tum & illa, sciat ABBAS *quam difficilem & arduam rem suscepit, regere animas & multorum seruire moribus*, hisq; consimilia quæ sanctus Pater B. in ABBATE BENEDICTINO requirit, *Fratrum scilicet quantum numerum haberet de omnibus illis strictissimam rationem æquissimo Iudici* DEO *se sciret redditurum*: ideo curabat, vt conscientias singulorum Religiosorum suorum perspectas haberet, vt illas in Domino melius adiuuare posset: nullam curam ac solicitudinem Animarum saluti anteponebat, sed suæ inprimis curam gerens, prius in seipso deinde in alijs Gloriam & laudem DEI quærebat & promouebat: sic alijs virtute prælucebat vt instar solis, cæteros veluti stellarum igniculos suo fulgore illustraret & suo Exemplo ad studium Perfectionis accenderet. Regulam monasticam secundùm Ritus & sanctissimas Constitutiones Cluniacensis congregationis à Tinecensibus diligenter obseruari faciebat. inter omnia sedulò aduigilabat vt officium Diuinum, ac Horæ Canonicæ, debitâ cum deuotione suo Tempore ac Ordine persoluerentur. Item, vt meditationes, Lectiones spirituales & similia Claustralium exercitamenta vigerent. Promouebat in suo Monasterio bonarum Artium & Diuinarum scripturarum studia, imò verius Gymnasium LL. AA. ex voluntate Regis assignatis huic muneri Doctis et idoneis Cluniaco missis Fratribus, TINECIÆ instituerat. Opus quoq; manuale, in describendis libris & rubro distinguendis, ligandisq; & componendis, habitâ ratione personarum & temporis nonnunquam tractari, nonnunquam alia obsequia externa Fratres exequi, præcipiebat; gnarus per talia exercitia Humilitatem & Charitatem exerceri, & corporis valetudinem conseruari. Ad hæc curabat, vt subditos ac famulos haberet DEVM timentes ac sibi fideles:

les: Temporalia liberaliter à Rege collata, administrabat tanquam seruus fidelis ac prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Cum autem temporalium bonorum, alia spectent ad necessitatem, alia ad commoditatē seu melius esse, quæ necessitatis erant, sic disponebat, vt neq; templo, neq; Fratribus, in victu vestitu, habitatione, ac libris deessent: in procurandis verò ijs quæ erant Commoditatis, curabat, impensas conferente Principe vt primo Sacra supellex esset instructissima, eoq; decentior quo Mysterium SS. EVCHARISTIÆ propius attingebat: deinde Fratribus prouidebat, iuxta cuiusq; virtutem, vitæ meritum & exigentiæ Religiosæ decorum. Externæ verò familiæ curam, semper postponebat ei, quæ habenda erat Fratrum, quorum aptitudines naturales, inclinationes, & mores, præsertim Tyronum in Religionem nouiter adscriptorum, vt plenius internosceret, & aptis monitionibus postea roboraret, ac vt Fratres vicissim ab ipsius exemplari conuersatione & præsentia magis ædificarentur, quantum reliquæ curæ officio annexæ temporis concedebant, in quantum liberior esse poterat, in quantum & onus Archiepiscopale sibi postea delatum permittebat, cum Fratribus in Monasterio, in choro, in Capitulo, in Refectorio sæpius esse studebat. Opus quoq; peculiare in Regula vetitum, à cubiculis Fratrum proscribebat: Officinas Domûs visitabat, & vt decenter fierent omnia, cum gloria DEI & animorum lucro seriò inuigilabat; sciens quod obligatio Abbatialis, sicut sollicitos circa Animarum salutem, ducit ad gloriam, ita desides vrget ad pœnam. Hæc tamen vigilantiæ studia circa profectum suorum cum actitaret AARON, omnia prudenter, discretione altâ, quæ Mater virtutum meritò asseritur, temperabat: erat vigilans, prouidus, & consideratus, ac non turbulentus, ex nimietate anxius, vel ob suspiciones leues plurimum irrequietus. Deniq; omnibus se beneuolum & nulli infensum, subditis Rectorem, in rigore Patrem, in pietate Matrem exhibebat. Sicq; iura disciplinæ contra delinquentes, qui in illo primo feruore rarissimi inueniebantur, visus est exercere, vt & pietatis abundantiam habuisse, & zelum correctionis prudenter vrgentem adhibuisse, ab omnibus prædicaretur.

Quare vt primùm Orbi Polonico fulgor Sanctimoniæ & Doctrinæ radij, Antistitis TINECENSIVM Primi, cæperunt inclare-

scere, subitò in illo ingentes dotes omnes suspicere, probare & prædicare certabant: potissimum tamen CASIMIRVS REX intimiùs ei affectus, tantum virum pro meritis suis venerari & exornare amplius contendebat. Atq; post amplissima encomia sanctitatis eius, integritatis & doctrinæ, hunc in Archiepiscopum Cracouiensem denominare, Capitulo Cracouiensi præsentare, & vt securè ea prouincia committeretur illi, regalem interponere dexteram, & successus polliceri faustos non prætermisit. Vera autem Domini sententia est, & in AARONE facto completa mansit, *Math. 5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, & nemo accendit lucernam vt abscondat eam sub modio sed super candelabrum ponat, vt luceat domum intrantibus,* non potuit latere AARON sub modio Humilitatis Monasticæ, sed super candelabrum Ecclesiæ exaltatus est, vt Doctrinæ & sanctitatis lumen copiosius per mundum diffunderet. nam sicut sol terrã radijs suis illustrat & cælum, sic Honor, hominum actiones præclarissimaq; facinora: iam vero honor non facit bonum, sed ostendit, qui si in stultum & improbum ceciderit, calamitatem ei adfert, non quæsitum decus: sed AARON magis ab alto luxit, & Dignitatem celsam, amplissimis pro Ecclesia & Regno factis ornauit, illustrauitq;.

Quanquam hoc quoq; scire velim omnes, quod illo, quo hæc fiebant in Poloniâ tempore, ex Ordine S. BENEDICTI penè innumeri ex diuersis Cænobijs ad diuersas Ecclesiarum Dignitates & Prælationes vocati fuerint, aliqui propter eximiam sanctitatem, aliqui propter sacræ Doctrinæ excellentiam, non nulli ob singularem agendorum industriam, quidam etiam propter generis claritatem, omnes tamen ob regularis vitæ disciplinam, & publicam Ecclesiæ vtilitatem. Hinc numerantur ex Ordine nostro, à dignis fide scriptoribus, Snmmi Pontifices plures quam triginta, qui sibi diuersis succedentes temporibus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Maiestatem conseruarunt laudabiliter, & vt verbo absit inuidia, gloriosè auxerunt: Cardinales vero, Archiepiscopi, & Episcopi, per diuersas Prouincias & Regna tot prouenisse à togâ Benedictinâ scribuntur, vt myriades excesserint, & Tomos grandes, recensendo sola Nomina eorum, Authores docti impleuerint, ad quorum Historicam demonstrationem remitto ambigentes. Hoc quoq; AARONIS Nostri occasione dixerim fuisse tempora olim, quibus BENEDI-

CTINVS

CTINVS Ordo tantam copiam virorum Illustrium in suo gremio continuerit, & tam fæcundus in proferendis Apostolicis Viris & Præsulibus exstiterit, vt si præsentium temporum ad præterita comparatio fiat, tantum distare videatur status eius præsens depressus & nube alienæ potestatis obfuscatus, quantum album à nigro, lux à tenebris. id verò quo fato euenisse docuerim, penitus ignoro. scilicet Varietati Mundanæ quæ cuncta regyrat, ac nihil firmum, & stabile, manere sinit, suaq; perpetua inconstantia constat, adscribendum censuerim. Equidem illis difficillimis temporibus, athletæ solidiores opportuni erant, nunc fundata, roborata, & vt quidam loquitur clarificata per Orbem Ecclesia, eius cardines & molem imperij subsequentes administri deportare valent. in Magistros Ecclesiæ & Populorum Duces euaserant olim Monachi, iam euoluto climate Regulari contrarius subsecutus est motus, & cancrorum more res claustrorum retrogradiuntur: nam ad regendos Monachos, non solum ex Clero seculari, sed pene ex plebe, ex cunis, vetustissimis Archimandritæ Ordinibus præficiuntur. quod cum fiat quotidie, nec causam benè sciamus, rectè dubitare quis possit? Quo nam tempore Ecclesia sancta melius floruerit? vtrum sub Monachis, totum quidquid habere poterant, in sortem Ecclesiæ conferentibus? An præsenti æuo, dum Ecclesia Mater vberibus suis tam delicatè nutrit Pastores suos, & ex tenuibus locupletissimos reddit? certè suis distinctis temporibus fructus succrescunt diuersi: vicesq; rerum varias DEVS destinauit olim. Vt in orbem voluuntur Astrorum Orbes, sic mores hominum suâ varietate perennant. Exemplum ex Monarchijs Mundi & terrenâ dominatione habemus, vbi diuersa Imperia enata, extinctis prioribus, & fasces alio modo tractantur, quam ab antecedentibus fuerint circumlati: quod etiam ex Typo Mundanæ Varietatis, Statua Prophetæ discimus, vbi Aureo Capiti, æreo pectori, luteos pedes simulacri fabricator DEVS supposuit, vt hoc pacto moneret, nihil esse in mundo durabile & quod suis non subsit ruinis: veluti auro, argentum, æs, ferrum & lutum succedit, sic periodos instantes anterioribus deteriores esse. Hac eadem sorte Ordinem Nostrum Duodecim Sæculis iam persistentem, ad hæc tempora videmus perdurare, qui post Aureum Capitis decorem & robustam

 ætatem,

ætatem, ac ferream fortitudinem, ad hanc debilitatem in suâ decrepitudine non planè volens deuenit. interea tamen, Trithemius Abbas perdoctus, in suo Penthico causam insinuat, quare tanta depressio Ordinis inualuerit? *Quia Monachorum tepuit deuotio, amor scientiarum extinctus est, ideo ab Ecclesiarum regimine repulsam sunt passi.* Sed dato, non planè concesso, (cum etiamnum & probi & docti Religiosi inueniantur non pauci) quod ab Ecclesiarum Secularium Cathedralium directione amoti Regulares extent, quibus cum mundanis curis parum conuenit, sit sane iustum factum! sed cur quæso à suarum Regularium Ecclesiarum & Cœnobiorum regimine arceantur? cur Monachi exoticæ subduntur potestati? cur eorum Magistri constituuntur, tales, qui nunquam fuêre discipuli? hæc quidem in controuersiam iure vocari possunt, sed tamen fiunt, altissimo consilio omnia disponentis Dei. nihilominus futurum forte aliquando crediderim, vt sibi reddantur Ordines, & res illorum ad cursum postliminio pristinum reuertantur. Nos vero Ordines Antiquos non ex eo felices æstimamus, quod Pontifices plurimos Ecclesiæ protulerint, sed hinc meritissimos asserimus, quod fideliter in Ecclesiæ excolendis aruis laborauerint, quod multas terras hæreditati Christi adscripserint, quod oues errantes ad ouile Dei reduxerint, gentes ad fidem conuerterint, Sanctis cælum repleuerint.

Sed permittamus currere res vt currunt. mihi repetendus est Aaron, qui à claustrali vitâ in Archiepiscopum Cracouiensem prouectus, quid in ea Infulâ gesserit, vel quæ ad perennem memoriam in hoc apice Pontificio sedens præstiterit, vt veritas ab alio probata plenius teneatur, Jllustrem Virum Simonem Starovolscivm Canonicum Cracouiensem induco, qui in Opere suo Vitæ Antistitvm Cracoviensivm inscripto, de Aarone hæc habet. *Anno (inquit) 1046. quo Rachelinus sextus Archiepiscopus Cracouensis decessit, Aaron Monachus S. Benedicti Tinecensis Monasterii in Diœcesi Cracouiensi Primus Abbas natione Gallus, Casimiro Rege instante & petente ob vitæ Sanctimoniam & virtutem ac Doctrinæ præstantiam à Capitularibus Cracouiensibus ad regendam sedem Archiepiscopalem Cracouiensem assumptus & postulatus. Quem statim*

tim REX CASIMIRVS pietatis ſtudioſiſsimus ad BENEDICTVM Nonum Oratorem ſuum fecit, & cum mandatis in Germaniam vbi tunc PAPA morabatur, expediuit: à quo perhumaniter exceptus, & vti vir ſolertis ingenij & dexteritatis in tractandis negotiis ſingularis benigne habitus, facile vota Regis ob quæ principaliter venerat impleuit: & conſecratione per Cardinales Coloniæ receptâ Pallium cum priuilegio Archiepiſcopali obtinuit, Annisq; Tredecim in ſede Cracouienſi præſidens Decimâ quintâ Mai rebus exemptus eſt humanis, & in Eccleſiâ ſuâ Titulari ſepultus, Anno Domini M. L. IX. Peractâ Coronatione BOLESLAI Audacis.

Hic ingenuis parentibus in Galliâ natus, in Monaſterio Cluniacenſi Religionem S. BENEDICTI profeſſus, virtutibus ſuis & ſanctitate vitæ, CASIMIRO adhuc Monachum agente, magnopere placuerat, à quo in Regem Coronato, cum aliis Duodecim Fratribus eiusdem profeſsionis & ordinis, Cluniaco euocatus, in Poloniam venit, & locum TINECENSEM pro cænobio accepit, Primusq; in eo ABBAS præfuit. Tandem ob merita, vti diximus, Pietatem, eiuſdem Regis fauore, ad ſedem Metropolitanam promotus, Septimus & vltimus Eccleſiæ Cracouienſis Archiepiſcopus extitit. Qui TINECENSE Cænobium multis prærogatiuis, libertatibus, & immunitatibus, largitioneq; Decimarum Manipularium, ad menſam Archiepiſcopalem Cracouienſem pertinentium extulit & dotauit: vniuerſosq; TINECENSIS MONASTERII ABBATES ſucceſſuros, eo honore priuilegiauit & inſigniuit, vt quilibet eorum foret CANONICVS CRACOVIENSIS NATVS, ſtallumq; in ſuâ Cathedrali inter Canonicos obtineret atq; intra Diuina officia & Horas Canonicas ſuperpelliceo, Almucioq; amictus incederet. Hactenus Starouolſcius. cuius Elogium, ſequitur Hexaſtichon tale

Adduxi Fratres TINECENSEM *primus in Arcem*
Mox rexi populum Vandalis ora, tuum
Multa ſacra per me ſunt addita & aucta Cathedræ,
Multa Monaſterio dona dicata meo.
Fungor & ad ſanctum Oratoris munere Papam
Hincq; fero ſedi Pallia ſacra meæ. hæc ibi.

IN ſuo tamen Archiepiſcopatu præter memorata, traditur etiam, vſum Pſalmorum Gradualium in Prouinciam Polonam induxiſſe AARON, (qui Pſalmi in Eccleſijs Gallicanis per tempus Quadrageſimæ iam paſſim recitabantur, & necdum ab vniuerſali Roma-

na Ecclesia, vti nunc, indicti fuerunt:) præterea Deuotionem erga Defunctos, à Cluniacensibus, apud quos primo nata, acceptam, idem propagasse scribitur, & pleraq; alia piè instituisse, ad laudem Omnipotentis Dei & Ecclesiæ Catholicæ, per partes septentrionis feliciter tunc crescentis, singulare ornamentum.

His interim Aaron intentus operibus, & Iustis Funebribus Pientissimo Regi Casimiro, Posnaniæ exolutis; ac tandem Boleslao Avdace maiore natu defuncti filio, in Regem Poloniæ ibidem vncto & coronato, annis confectus laboribusq; consumptus ArchiPræsul, reuertens in suam Metropolim ægrius habebat; finemq; vitæ persentiscens, vt erat ad exitum de hoc mundo paratus & promptus obsequi Deo se vocanti, ita religioso more Sacris ritè procuratus, ad illam beatam immortalitatem, quam semper quærebat, migrauit, sempiterno æuo victurus. Diem eius felicissimi obitus, aliqui in Decimam quintam Mai, nonnulli in Nonam diem Octobris referunt, sed in Anno quo decessit, conueniunt, qui fuit à Nato seruatore M.L.IX. Lugubris ille & omnibus mæstus funeris apparatus, quem Casimiro Regi, Aaron officioso supremoq; obsequio exhibuerat, & acerbiorem dolorem præ alijs ex obitu sui amantissimi Principis conceperat, causam dedisse ArchiPræsuli infirmitatis contractæ & mortis subsecutæ, dicitur: Tantam enim inter se animorum consensionem habuisse credebantur, tantam morum harmoniam, & intimam amicitiam, vt consonam quoq; & subsequam, ex hac vitá ad illam immortalem & æternam, Aaronem desiderasse commigrationem fuerit probabilissimum.

Jam verò sicut Aaron summus Sacerdos Isráëliticus, iussu Diuino in supercilium MontisHor conscendens, ibiq; somnum mortis obdormiens, in eodem Monte Hor à Mose est tumulatus: ita Aaron Noster ArchiPræsul meritissimus depositis mortalitatis exuuijs, in aliam vitam translatus, sepulturæ publicum honorem in Vauello Monte intra Basilicam Cracouiensem à frequentissimo Clero suæ Diœcesis accepit. Sacrum autem Collegium Prælatorum eiusdem Ecclesiæ Cracouiensis, in signum Amoris quo in suum Antistitem ferebantur, & in memoriam Honoris Metropolitici, quem cum Aarone simul amiserunt, Gentilitium eius stemma, Tres Coronas Regias, coloris aurei, in campo albo, intra

scutum

scutum militare consistentes, pro tessera & sigillo Capitulari assumpserunt: vt cum post fata AARONIS nullus superstes in Regno Poloniæ huius familiæ relictus existeret, ipsi successores & legitimi filij tanti tamq; pij Patris & Pastoris, apud omnem posteritatem prædicarentur. Sunt verò istæ Coronæ, omina felicitatis & symbola gloriæ non vulgaris, quæ sicut Regum capita ambiendo exornant, sic illius Sodalitij Cathedralitici, Primariam in Regno Dignitatem declarant. Quo in stemmate suo AARON superstes viuit, viuit & in gratis animis successorum, & monimentis Reipublicæ Polonæ, in Annalibus, in fastis, viuet, neq; vlla ætas, vel adeò immemor vel adeò ingrata erit, quæ eius res gestas, Virtutes, & Nomen, non suspiciat, non admiretur, non extollat, aut illius præconia iusta prædicatione celebrare aliquando conticescat. In ABBATEM TINECENSEM constitutus est, *anno 1046. obijt anno 1059.* Sedit in sede Abbatiali annis tredecim, & in Archiepiscopali annis duodecim & mensibus aliquot.

Æternus tibi surgit honos, Lechicasq; per oras,
Debetur meritis gratia summa tuis.
In Lechiam per te BENEDICTI *sacra propago,*
Quod fortunatis venerit auspicijs.
Isràelis duxit populum Diuinus AARON,
Tu BENEDICTINIS *alter* AARON *eras.*

ANCHORAS,
ABBAS II.

POst obitum gloriosissimum Domini AARONIS suffectus est in locum eius ad regimen Tinecense Anchoras, genere Burgundus, professione Cluniacensis, gradu Prior, qui ob eximiæ probitatis, & sapientiæ præclara merita, ab omnibus dignus est habitus, qui

AARO-

AARONI primus omnium succederet. Hic optimi Antistitis strenuus æmulator, recentem coloniam solidis ad virtutem præsidijs roborauit, & multis rebus necessarijs auxit. Discordantibus verò, in electione Archiepiscopi Cracouiensis, Prælatis Cathedralibus, aliqui eum honorem Anchoræ ABBATI TINECENSI deferendũ volebant: ast discors voluntas eligentium, infectum desiderium reddiderat. Eius tempore, quin eo consulente, BOLESLAVS Audax REX victoriosus, triumphatis Germanis, Morauis compressis, Prutenisq; deuictis & sceptro suo subactis, cum opima ex hostibus retulisset spolia, Deoq; pro collatis tantis victorijs gratum se exhibere vellet, Patris sui exempla secutus, Monasterium Mogilnense Instituti BENEDICTINI, in maiori Poloniâ, Anno 1065, sumptu regio erexit, & amplis possessionibus, annuisq; prouentibus, liberaliter dotauit; & ex TINECENSI, vocatis eò Fratribus, Mengosium ABBATEM primum, Cænobio à se erecto præficiendum curauit; statuitq; vt in posterum Mogilnense à Tinecensi Monasterio haberet dependentiam, tam in electionibus ABBATVM subsequentium, quàm in viuendi modo & disciplinâ claustrali: vt sanctissimæ Regulæ præscripta, quæ in Tinecensi venerando Cænobio laudatissimo vsu recens vsurpato sacratius obseruabantur, in Mogilnensi similiter Asceterio, in praxi arctè tenerentur. Anchoras autem, omnibus obsequijs boni Prælati, in Tinecensi Abbatiâ, per vndecim annos expletis, rebus Monasterij benè auctis & dispositis, moribusque Fratrum, ad Regulæ normam conformatis, pridie Nonas Febr. Anni millesimi septuagesimi, transiuit ad Empyreum: pro cuius duraturâ æternum possessione, positus in humanis plurimum adlaborauit. Præfuit annis vndecim, & mensibus circiter tribus.

Staret vt immotum decus immortale TINECI,
Fundatum solidâ relligione, fide;
Vtq; procellosi, sæuissima fulmina mundi
Vinceret, insultus horribilesq; Stygis;
In te perpetuo virtutum cardine nixa,
Anchora, felici nomine firma stetit.

BERNI-

BERNINIVS.
ABBAS III.



VOtis Fratrum expetitus BERNINIVS, tertius Antistes præfuit TINECIÆ: vir ingenio, probitate, ac rerum vsu excellens. qui egregijs operibus, suum Magistratum ornasset, & è re MONASTERII multa bona fecisset, nisi ingenti totius Poloniæ fremitu in BOLESLAVM Audacem, ob cædem Diuinissimo Præsuli STANISLAO intentatam excito, retardatus fuisset. Octauum tunc verò annum in Episcopatu Cracouiensi Sanctissimus Martyr sederat; & ecce furijs irarum Audax agitatus, VIII Idus Mai Anno 1079. truculenter innocentissimum Præsulem sternit, Regnumq; & accolas ingenti mærore implet. GREGORIVS VII. insuperabilis animi, aduersus quosq; Audacissimos Regum continuò decertans, Pontifex Maximus, in totam Poloniam, ad sceleris atrocitatem exprimendam, Interdictum Ecclesiasticum fulminat, sacris interdicit, Regem excommunicat, iure regni, Regisq; titulo priuat, diris deuouet, & omnes Polonos à Sacramento quo obstricti Regi tenebantur, Supremâ authoritate absoluit. Audax tamen præfractè se pro Rege gerens, tamdiu suis imperijs obedire Polonos adigebat, donec quosdam Primores in sui captiuationem, vel mortem conspirasse intellexisset: de quo plenius edoctus, accepto duodenni filio MIECISLAO, ad VLADISLAVM Regem Vngariæ ab sanctitate vitæ, & gestis cælo dignissimis, laudatissimum Principem, amicitiâ sibi arctè coniunctum, & cui aliquot ante annos, insigniter in adipiscendo Regno, & eius Fratribus GEIZÆ, LAMBERTOQ; auxiliatus fuerat, in Vngariæ partes profugit. vbi à Sancto Rege comiter, per animi compassionem susceptus, & omnium rerum, quâ Regem vtrumq; decuit, prouisione Audax cumulatus, tristem tamen à cæde commissâ animum, cor eius culpâ redarguente & ad pænitentiam instigante, gerebat. proinde vili clam indutus chlamide, vno id tantum sciente & subsequente famulo, ignorantibus

humanissimo & Sanctissimo REGE VNGARIÆ, ipso etiam indolis gratiosissimæ & spei ingentis vnico Filio Miecislao, per inuia montium nitens, in Carinthiam ad Monasterium BENEDICTINORVM Osiach dictum, propè Villacum positum, ignotus deuenit. Ibi DEO interius operante, & sanguine Martyris innocuè effuso, pro illo intercedente; instanter ab ABBATE loci petijt, vt illum alium suum comitem, seq; infimæ sortis homuncionem in mancipium Monasterij assumeret: quo obtento, in habitu vili Monachi, ministerio culinæ (vti rusticum ex industriâ præferens) destinatus, in magnâ humilitate, & cordis compunctione pluribus annis grauissimum suum reatum, diuersis pænitentiæ operibus impigrè diluebat. vt verò ab illo altero sui statûs conscio non proderetur, eum vinculo datæ fidei iurando obstrinxerat. Contigit autem, vt dum BOLESLAVS, mactati Præsulis scelus dolenter animo versans, extrema seruitutis opera non abnueret, semel in coquinæ famulitio incautius quid fregerit, propter quam culpam à coco indignabundo titione cum esset percussus, ille alter Regius comes qui tum fortè fortuna aderat, iamq; in altiori Clericorum Ordine constitutus fuerat accurrisse otiùs & cocum depalmasse dicitur, quod meliorem se tractasset iniquius: ob quod dum ab ABBATE acrius corriperetur, indicasset tum temporis Secretum Regium, nisi se inspicientis & lacrymantis BOLESLAI nutu contrario permotus, subire pænam quam reuelando immunitatē consequi, prælegisset. Aliquot itaq; in summo pænitentiæ luctu peractis in illo Monasterio annis, mortem vicinam adesse ob debilitatem ingrauescentem sentiens, Patri á Confessionibus sacris, secretiùs narrauit genus suum, conditionem, crimina, vtq; id celaret, quo ad viueret ipse in tali pænitudine, obligauit. Moritur interea sacris munitus Sacramentis in spe misericordiæ DEI, & tùm primò Confessarius, eius regium genus, officiumq;, occasionem accepti statûs Monastici, cædem à se nefariè factam; & in vim argumenti, proferre annulum Regium sibi non multo tempore ante diem obitus concreditum, cæteraq; edicere non intermisit. Ad quod ABBAS, & totus Conuentus stupentes, & DEVM in suis seruis benedicentes, sepulchralem lapidem cum hac Epigraphe dedêre. *Hic iacet BOLESLAVS REX Poloniæ Occisor Sancti STANISLAI.* infernè autem in pariete Versus isti sunt appositi. *Occi-*

Occidit, Romam pergit, veniens O S I A C H, *illic*
Ignotus seruit, notus pia lumina claudit.
O S I A C H *tunc placeat tibi* S T A N I S L A E, *Tyrannum*
Mitem quod factum, cælestibus intulit astris.

EPitaphium hoc cum suâ inscriptione, in hodiernam leguntur ibi diem; nec dubitare prudenter quis posset, vtrum vera essent, quæ de Audace feruntur: non enim video causam, quare illi Monachi in præsentem diem, lapidem illum cum suâ inscriptione in cæmeterio parieti Ecclesiæ affixum à quingentis commonstrent annis, si apud illos, hæc mutatio dexteræ Excelsi, in resipiscentiâ Audacis BOLESLAI facta non fuisset. Proinde ualeant illi cum suâ traditione, qui asserunt BOLESLAVM in montibus Carinthiæ venationi (animi ex continuo mærore leuandi causâ) intentum, cum effrenato equo præcipitem ruisse & impænitentem obijsse. Insignis alioqui Rex iste fuit, & in Ecclesias munificus, cuius liberalitatem in MOGILNENSI CÆNOBIO superius recensuimus. Qui post suum proauum Chabry, patriæ fines felicibus trophæis magnificè propagauit, in omnes liberalissimus fuit, in audaciâ & animi magnitudine cæteros superauit, in tyrannide militum & subditorum, malo suo ferus primò innotuit, in nece vero B. STANISLAI, *truculenti* P R I N C I P I S cognomen reportauit. Sed absq; dubio pænitens obijt, sic S. STANISLAO pro eo petente, & instante etiam tùm, cùm sacrum eius uerticem furiosus ferro Princeps peteret. Hanc Sanctorum vindictam esse comperimus, vt suis malefactoribus optima quæque cælitus impetrauerint: Sic DAVID SAVLI prospera exoptabat; STEPHANVS pro SAVLO deprecabatur; pro quo ni STEPHANVS orasset, Ecclesia PAVLVM, testimonio Magni Hipponensium Antistitis, non habuisset, idq; SANCTI DEI, ad imitationem Capitis sui CHRISTI Domini libenter faciebant, qui pro se crucifigentibus P A T E R *dimitte illis* inclamando orare non cessabat. similiter Sanctissimum Martyrem STANISLAVM fecisse etiam post sui cædem non dubito, quod pro BOLESLAO, Numini præsens & choro purpuratorum Beatorum adlectus, instantissimè supplicauerit, quem viuus sæpius monebat, cuius resipiscentiam volebat, & eum in amore Christi perfecte di-

 ligebat.

ligebat. Sed hæc de BOLESLAO, per occasionem publici motus & tumultuum, retulimus.

Ad BERNINIVM quod attinet, contentissimis studijs illud TINECIÆ egit, vt egregia antecessorum suorum facinora, suis & ipse ornamentis ac dotibus cumularet. Si quidem retento in omni gubernatione eodem sanctitatis & constantiæ tenore, nullis vnquam laboribus, nullis incommodis, pro conseruandâ seuerioris instituti normâ, succumbens, tandem ætate ac meritis grauis, fato cessit V. Kal: Martij, Anno 1083. Sedit annis tredecim.

Illibata tuæ quantum constantia mentis,
BERNINI *possit? tempora sæua probant.*
Dextra STANISLAVM *cum sustulit impia Regis,*
Concidit hoc patriæ vulnere, tota salus.
Hos inter fluctus, hæc inter turbida rerum,
Inconcussa stetit mens tua, fisa DEO.



SCESSCVS, ABBAS IV.



SCESCVS è Diui AARONIS Magisterio, quartus ab eiusdem obitu, TINECENSEM familiam temperauit. exempla vitæ claustralis & omnium documenta virtutum, ab egregio præceptore cum didicisset, insignis prudentiæ, ac rerum piè gestarum gloriâ enituit. antecessores suos strenue imitatus, Constitutiones Cluniacenses, & salubria Religionis statuta, à suis TINECENSIBVS, & ab alijs Cænobiorum, eiusdem Instituti per Poloniam alumnis, obseruanda seriò contendebat. Gente Polonus, & stemmatis clari soboles, fuisse asseritur; spectabilis namq; sanctitas & morum decora

cora compoſitio, quam in TINECENSIBVS primis, paſſim illo tempore Poloni ſuſpiciebant, plerisq; copioſis & nobilibus occaſionem dederat, quod ardentius ſublimioris vitæ ſtudijs incenſi TINECIAM commigrârint, ex Monaſticæ diſciplinæ normâ diligenter inſtituendi. Rerum geſtarum tempore SCESCI, hæc eſt breuis narratio. ETHNARCHA Poloniæ, poſt Audacis de Regno egreſſum, VLADISLAVS HERMANNVS CASIMIRI Primi natu minor Filius, ex voluntate Statuum Regni, fratri ſubſtitutus erat: qui in matrimonium ductâ IVDITHA Bòëmiæ Ducis Filiâ, pulchritudinis laude eximiâ, & pietatis operibus, inſigniter deuotâ fæminâ, cum per annos plures nullam ex eâ ſuſciperet prolem, ex conſilio Religioſorum virorum, quorum præſentiam habuiſſe ſemper ſcribitur, Oratores precatoresq; ad S. ÆGIDII ABBATIS ſepulchrum in Galliam Narbonenſem miſit, qui Principum vota nuncuparent Sancto, & Fratrum in MONASTERIO ibi exiſtentium ſuffragia expeterent: magnifica donaria, tam ſepulchro Diui affigenda, quam Fratribus impertienda, per Ablegatos ſuos deuotè committendo. Factum benè: dum ABBAS Sacri ad cineres Ægidianos Cænobij, ieiunium fratribus & triduanas, ad vota Principum promouenda, indicit ſupplicationes, ecce necdum finito triduo, vni Religioſorum adfuit reuelatio, quâ preces Monachorum efficaces eſſe, & prolem maſculam Poloniæ Principes ſuſcepturos, diuinitus edocebatur, idq; pro documento Legati haberent, quod Reginam grauidam reduces ab viâ proſperè ſalutaturi forent. Beneficij per Sancti ABBATIS promerita obtenti, gratam ſe exhibente Reginâ, Eccleſiam Cracouiæ S. ÆGIDIO ſacram, ad pedem montis Vavelli cui Arx regia incubat, ædificari, & cum amplâ dote, Sieciechouienſis Monaſterij Fratribus in curam committi, à REGE impetrauerat. Adhæc IVDITHA præter ſacros apparatus, quos ex mundo muliebri pretij altioris aptatos, TINECENSI MONASTERIO munificentiſſimè dederat, Bona Xiąznicenſia inſuper eidem Cænobio, approbante REGE contulit. In his fæmina nobiliſſima decenta operibus, poſt editum filium VLADISLAVM KRIVOVSTVM, quartum poſt menſem à partu, fracta ægritudine, locuples meritis, ætate virenti, cælo iam matura, ad ſuperas euolauit ſedes, magno ſui apud omnes relicto deſiderio. Incomparabilis Heroinæ iſtius

 næ iſtius

næ istius quâ pietate in DEVM, liberalitate in templa DEI & homines sacros profusâ laudatissimæ, ac TINECENSIVM Benefactricis specialissimæ, quotidie TINECIÆ in præsentem vsq; diem ex Metriculâ, recitatur memoria, in quâ memorabilium benefactorum eius Symbolæ reuirescunt.

SCESCVS verò Vir egregiè pius, sui regiminis operæ pretium fecit, conseruatâ apud TINECENSES BENEDICTINI instituti accuratiore disciplinâ. Fato functus est Anno 1095. die 11. Martij. præsedit annos duodecim.

Sanguinis & virtutis habes insignia SCESCE
Maiorum titulis par, animiq; bonis.
Dignus qui patrijs Lechiæ natalibus ortus,
Hunc meritis posses primus adire locum.
Principis Hermanni decuit te gratia princeps
Nam sequitur summos gratia summa viros.



GABERTVS, ABBAS V.



ABERTVS cum Gallicæ nationis, in quâ natus fuerat, splendorem, religionis ac morum nobilitate superasset, primarium inter TINECENSES locum adeptus est, Vir omnium virtutum ornamentis abundè diues. Lamberto Cracouiensium Antistite commodissimè vsus, quo cum ei magna amicitiæ intercesserat necessitudo. Ad amussim res Monasticæ illo moderatore cursum habebant, nisi publicam tranquillitatem rebelles VLADISLAO Principi præfractè temerassent, & labem aliquam ex facto Sbignei, Religioso statui adspersissent. VLADISLAO tamen, optimo alioqui Monarchæ adscriben-

ſcribendum venit, quidquid in hoc facto erratum fuit: naturalem is filium, Sbigneum nomine habuerat, priuſquam iuſto matrimonio IVDITHÆ fæderatus eſſet, cuius offenſam euitare volens, eum quem ex priori viuendi licentiâ Sbigneum ſuſceperat, ad Brunuilcenſe in Saxoniam Ordinis Noſtri MONASTERIVM amandârat, vt illic literis imbuendus & poſtmodum cucullo inductus attonſuſque, pro abſtergendâ ignominiâ, extra Regnum Poloniæ, perpetuò in clauſtro detineretur: iamq; pluribus annis in habitu degentem, & tenebris religioſi receſſus non malè contentum, aliqui exules vagiq; per Boëmiam & alias adiacentes terras Poloni, de Monaſterio Sbigneum ſpecioſis promiſſis extraxerunt, eo potiſſimum conſilio, vt eum in Ducem belli aſſumentes, Regi ampliùs nocere poſſent. fuit itaq; graue bellum excitatum, in quo tamen rebelles ſuccubuêre omnes, & ipſe Sbigneus captus, datuſq; ad vincula: ex quibus breui, paternâ clementiâ abſolutus, gratitudinis ergò, patrem veneno ſuſtuliſſe creditur, & in funere eius, cum fiſtulatoribus & ludionibus exultaſſe, bonæ fidei authores tradiderunt. GABERTVS TINECENSIS Domûs fortunas, magno adhibito labore & induſtriâ amplificauit, obtentis à VLADISLAO REGE, cuius gratiam ſedulitate obſequiorum demeruerat, priuilegijs, prædijſq; & donationibus magnificis. iamq; ætate admodum prouectâ, diem obijt vltimum, 15. Junij, Anno 1106. Præfuit annis vndecim.

Inſignes animi dotes GABERTE *tuliſti*
In ſummo decuit quas radiare gradu.
Æſtimat has Lechicæ Princeps Iuditha coronæ,
Et primo dignas cenſet habetq; loco.
Inq; TINECENSES *inſigni munere Fratres,*
Regali confert, Regia dona, manu.



G E-

GEROLTVS, ABBAS VI.

IN ſacro Cluniacenſi Aſceterio, CASIMIRVS REX gratiam cæleſtis metamorphoſis adeptus, & legibus inſtituti regularis deuinctus, feliciter didicerat, quomodo ſpiritui carnem ſubijceret, & paſſiones inferiorum potentiarum freno rationis domaret. quam exercitationem multùm proficuam animo expendens, ſeq; Cluniacenſibus eo nomine grauiter obſtrictum agnoſcens, TINECENSE MONASTERIVM regali munificentiâ à ſe prouiſum, Cluniacenſi ABBATI, quo ad ſpiritualem ſubmiſerat iuriſdictionem. Eratq; ea conſuetudo diu vſurpata, vt in ABBATEM TINECENSEM Electus, Cluniacum accedere per ſe, vel per delegatum omninò debuerit, quo & authoritati tantæ ſedis deferret, & ſe membrum Congregationis ampliſſimæ deuotè teſtaretur. Præterea, omni biennio, à Regimine Cluniacenſi, perſonæ certæ Viſitationis munus peracturæ, TINECIAM ablegabantur; ex quorum acceſſu, TINECENSI familiæ Sanctitatis multùm accedebat, augebantur religioſiſſimæ vitæ documenta, alumni ad omnem temperantiam ac probitatem, veluti admotis calcaribus, generosè perurgebantur. Hoc officium Geroltus habebat, cum Gaberto è viuis ſublato, liberis cætus TINECENSIS ſuffragijs, rerum ſummam apud eos capeſſijt, nec ſine laude, annis XV. moderatus eſt: ſui enim Cænobij temporaria, prudenter diſpenſando, & rerum æternùm manſurarum, rationem primam habendo, cum omnia ex Regulæ monitu obiret, priſcæ virtutis & Sanctitatis exempla, propagauit. Obijt V. Kal. Iun. Anno 1122. Annis quindecim præfuit.

Maxima cura tibi, ſacræ perfectio vitæ,
Quam BENEDICTINIS Regula prima tulit.
Hanc ſeruare doces, Cluniaci legibus aptam,
Exemploq; præis ſuauiter ipſe tuo.
Inuitant exempla boni: reſq; ardua non eſt,
Optima ſuadentem dum facit ipſe, ſequi.

BRVNIVS, ABBAS VII.

BRVNIVS, pari cum superioribus innocentiâ & Sanctitate, ad TINECENSEM Præfecturam euectus, crediti sibi domicilij commodis, siue religiosæ disciplinæ integritatem, siue facultatum incrementa spectes, vtilissimâ sui regiminis methodo, accepto honore præcellenti de se omnium expectationi, cumulatissimè respondit. Gliscentibus verò per Regnum disturbijs, ne quid damni TINECIA acciperet, diligenter cauit, & Monasterio, diuersis Priuilegijs obtentis, in futurum prospectum esse voluit. Præfuit annis septemdecim, Decessit Nono Kalendas Nouembris, Anno 1139.

Conciliat virtus animos pretiumq; meretur,
Nec studijs, potis est, illa carere suis.
Hæc tua, dilectis, carissima Nomina BRVNNI,
Fratribus, æternâ non sine laude dedit.
Nempe boni communis amor, studiumq; perenne,
Æternùm vincti vincula cordis habet.

PREIECTVS, ABBAS VIII.

PReiectus ex eorum numero, quos Cluniacum in Poloniam direxerat, summum inter TINECENSES gradum, spectatæ virtutis opinione, & KRIVOVSTI REGIS voluntate, post aliquod vacationis tempus, est consecutus;

secutus. Nihilo pacatiora tempora obuenerant ei, continuis flagrantibus bellis, in quibus BOLESLAVS KRIVOVSTVS quadragies septies victor, cum Regum Regi DEO, pro collatis victorijs gratias acturus, ad S. ÆGIDII tumulum in Gallias pergeret, comitem inter alios Preiectum adsciuerat, vt deuotum iter religiosorum coronâ melius stiparetur, & pro sublato Sbigneo religionis desertore, veniam prece religiosorum faciliùs consequeretur. Preiectus post impensa Aulæ studia, Cænobio redditus, magnâ sollicitudine MONASTERII negotia, prouentusq; & fortunas tractabat, maiori vigilantiâ sacrarum legum, totiusq; domestici moris obseruationi studebat, maximo affectu & humanitate, in Monachos sibi subditos vbiquè ferebatur: quorum animos cum plene possideret, inopinato prostratus morbo inter viuos desijt esse, V. Kalendas Augusti, anno Victoris Hominis DEI, 1151. rexit annos duodecim.

Inclyta Sarmatiæ CRIVOVSTVS *gloria Regum*
Maximus in bellis, nec pietate minor.
ÆGIDII *sacros cineres dum longius ipse,*
Visitat, hanc implet te comitante viam.
Sancta decent etenim magnos consortia REGES,
Sanctius vt faciant relligionis iter.



GOTHMARVS, ABBAS IX.



OTHMARVS in Germania inferiori, nobili loco natus, & humanâ Philosophiâ in seculo probè edoctus, quo cælestem facilius perdisceret, sacro Cluniacensi Lycæo nomen dedit. Vbi arreptum pietatis stadium, eâ animi contentione iuit, vt multos haud

lentè

lentè segniterq; progredientes, in assumpti propositi curriculo anteiret. Neque verò contemplatricis modo, sed actuosæ etiam vitæ studijs atq; functionibus, mirificè se aptum commonstrabat. Quod cum primarijs Cluniaci Patribus innotuisset, in Poloniam ad Monasteria Congregationi Cluniacensi vnita directus est, vt Visitatoris munus obiret, & sacræ Congregationis Statuta diligenter obseruari curaret. quam ille prouinciam, cum extraordinariæ prudentiæ & sollicitudinis laude, in rem Ordinis commodè administrat, post fata Preiecti, dum sedes TINECIÆ vacaret menses aliquot, summâ totius sodalitatis TINECENSIS voluntate, delatam administrationem inuitissimus ipse suscepit. Verùm in regimine, tanto melior euasit ac vtilior, quantò se regimini minus sufficientem, inter extraneos atq; idoneum arbitrabatur. Cænobij reditus & Iura diligentissimè conseruauit, plurimisq; & maximis inquietam moribus Poloniam cernens, cum quatuor Filij KRIVOVSTI impotenter dominarentur, & molestissimis discursationibus licentiosi milites regnum concuterent, seditiosiq; impunè grassarentur, inter hæc mala, obfirmato ad omnem patientiam animo, prudenti semper atq; imperturbatâ mente, Sedecim annos difficili tempore in TINECENSI Magistratu impleuit, sui semper similis, & vnum eundemq; hominem vbiq; repræsentans. Cuius exemplo doceantur omnes, fortis animi & constantis esse non perturbari in asperis rebus: imò *Horatij* obseruandum monitum.

Rebus angustis animosus, atq;
Fortis appare, sapienter item
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Mortem obijt Kalendis Nouembris, Anno *1167*.

Pectoris, immortale decus Sapientia, docti,
Ornamenta tibi GOTHMARE *pulchra dedit.*
Nec poterat lux illa tuæ clarissima mentis,
In summo, radijs non micuisse suis.
Quos iubar æternum sequitur, dum clara TINECI,
Fit per te doctis Bibliotheca libris.

HERMANNVS, ABBAS X.

QVo tempore HERMANNVS ABBAS, antiquæ probitatis & meriti religiosus, rem TINECENSEM curabat, calamitosissimus erat Polonæ reipublicæ status & conditio miserrima; crudeliter vbiq; & impunè grassantibus velitatim procurrentiũ agminibus, quæ ex ipsismet conflata Polonis, qui Principum inter se aduersantium contraria secuti signa, popularium suorum populationi grauiter erant intenti. Nullus locus tam munitus, vel castrum claustrumque inueniebatur, quo non perrumperent, vnde prædas non agerent? sed tamen prædia Cænobiorum eò facilius ipsorum rapinis patuêre, quo extra Vrbes constituta, minus habebant præsidij, ad subitas eorum impressiones repellendas. Inde TINECENSE MONASTERIVM eius cladis acerbissimam calamitatem effugere non potuit, quia propè Cracouiam Regni Metropolim positum, direptionibus procursantium obuium erat. Hâc eâdem tempestate WERNERVS Plocensis Episcopus, cum suo Theologo & domestico, Fratre BENEDICTO Ordinis Nostri Monacho, vterque vitæ innocentiâ spectatissimus, & opinione grauissimorum scriptorum Cælitibus adnumeratus, à BOLESTÂ Visnensi Castellano impijssimè strangulatus est. DVNINVS quoque integerrimus Heros & Senator veritatis amantissimus, exoculatus & elinguis factus, immanem temporis illius confusionem vocalissimè proloquuntur. HERMANNVS tamen TINECENSI MONASTERIO suæ curæ ac fidei commisso, religiosissimæ vitæ documentis, nedum pijs cohortationibus insigniter profuit, & quâ parte valuit, incursantes prædantium auerruncabat conatus. Naturæ concessit, Die 19. Febr. Anno 1177. Præfuit circiter Decem Annos.

Nauigat in medijs pelagi secura procellis,
Nauis, & iratos non timet illa Notos.

Pr æsidis

Præsidis experti quam mens generosa gubernat,
Qualis in HERMANNI *pectore summa fuit.*
Publica tempestas patriam dum vexat & vrget,
Felix in medijs præfuit ille malis.



MILOVANIVS, ABBAS XI.

DVo millia MONASTERIORVM, florentissimam Cluniacensium Congregationem sub suâ iurisdictione & vnione habuisse, graues authores scribunt: quæ in decem distincta Prouincias, magnam Orbis partem agminibus suorum Monachorum oppleuerat. Nam præter numerosa & magnifica, per Regna, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Britanniæ Monasteria, sibi quo ad speciales Constitutiones & ritus viuendi, vnita incorporataq; eiusdem Congregationis Catalogo MONASTERIVM vallis IOSAPHAT, ad sepulchrum DEIPARÆ VIRGINIS, MONASTERIVM SACRI MONTIS THABOR, in quo transfiguratus DOMINVS Noster fuit, Monasterium Ciuitot dictum, in suburbio ciuitatis Constantinopolitanæ situm, & multa alia per Græciam & Palæstinam erecta, olim Cluniacensibus inscripta adunataq; perspeximus. In Poloniâ quoq; quæ nunc Ordinis Nostri Cænobia numeramus, eiusdem Congregâtionis legibus, pariter cum TINECENSI, vixisse non ambigimus, cum etiam Italica pænè omnia, iussu Pontificum, ad Obseruantiam Cluniacensium, quondam transiuisse legerimus. Proinde huic amplissimæ Congregationi ceu Matri fecundissimæ, TINECIA plurimùm sanè debet, cuius antiquâ probitate, singulariq; in regendo sapientiâ effectum fuit, quòd Monastica res apud nos quandoq; floruerit, & magnâ cum laude latissimè fuerit propagata. dixisses

cum Diui BENEDICTI tempora feliciſſima, rediuiuâ diſciplinæ obſeruatione recurriſſe, cum ad Regulæ præſcriptum exactè omnia referebantur ab omnibus. Hinc Domicilium TINECENSE, multis annis, feraciſſimo pietatis prouentu diues, cum innumerabiles educeret præſtanti integritate alumnos, tum verò multis quoq; latifundijs, piorum hominum benignitate fuit inſigniter auctum. Fuit quippè BENEDICTINO Ordini ſolemne ac perpetuum, vt hoc opibus abundaret magis, quo in Diuini obſequij cultum, ſuſceptiq; inſtituti obſeruantiam, diligentiùs incubuit. Sub paternâ verò ABBATVM Gallicorum curâ, hactenus educati Polonorum animi & numero benè aucti, cum religionis exercitia & functiones Abbatiales per ſe iam poſſe obire, abſq; extraneis Doctoribus putarent, ſeq; mutuò circumſpicerent, animaduerterant non deeſſe in TINECENSI Domo, natiui ſoli Fratres, qui munus Abbatiale ex dignitate gerere poſſent. Maximè autem eo loco dignus viſus eſt, MILOVANIVS nobili ſanguine clarus, qui plurium ſententijs Fratrum delectus, HERMANNO ſucceſſit. Fuit autem vir cæteroqui moribus grauis, iudicio maturus, iurium & bonorum Monaſterij animoſus defenſor, populari verò gratiâ & fauore Magnatum præualens: quiq; Monaſterium in illis Regni & accolarum procellis, & arduis bellorum moribus: quâ par erat dexteritate egregiè conſeruauit. Præfuit annis XVII. demum in morbum incidens, infirmitate ſuperante naturam, diem extremam obijt, VII. Idus Iulij, anno 1194.

Fortis & inuictus Diuini cultor honoris,
Promouet inſigni commoda ſacra bono.
Proq; domo Domini MILOVANIVS *acer vbiq;*
Defenſor iuris iuſtitiæq; fuit.
Hoc decet armari, fortiſsima pectora zelo,
Collocat in ſummo, quæ DEVS *ipſe gradu.*



CHWA-

CHWALIBOSIVS, ABBAS XII.



HVVALIBOSIVS magnâ sodalium gratulatione, MILOVANIO sublectus ABBAS, maiore virtute quàm fortunâ, iniunctum sibi munus exercuit. Cum enim Regni status turbulentissimus esset, vndiq; exurgentibus bellis, & ciuibus dissidentibus, multisq; per sacrilegam temeritatem, iura & possessiones Ecclesiasticorum inuadentibus, tunc grauia dispendia accepit TINECIA, ex quo ABBAS, animi tristitiam & dolorem non leuem contraxerat; quo incommodo plusculum conflictatus, anno 1212. Iunij XXVI. mortalitatem expleuit, cum diuinum cultum, & instituti Religiosi integram disciplinam, in uitâ benè tutatus esset. Præfuit annis octodecim: vacauit sedes menses aliquot. Tempore CHVVALIBOZII, MIECISLAVS DVX Maioris Poloniæ, Monasterium Koscelnense erexit & dotauit, illudq; ABBATI TINECENSI, cum suis attinentijs ad perpetuam commisit curam.

Vt genus eximium præclaro sanguine traxit,
Clarus ab antiquâ nobilitate Patrum.
Sic animo præstans CHVVALIBOSIVS, *inter auitum,*
Virtutem primam, censuit esse decus.
Hâc pietate virum sequitur Venerabile nomen,
Nam virtus titulis omnibus vna præit.



RVT-

RVTFRIDVS Seu LVIT-FRIDVS, ABBAS XIII.



BBATIS huius exemplo compertum habemus, perniciosissimè externos homines à rerum publicarum administratione indiscriminatim submoueri : cum sæpè ab his maiores vtilitates & commoda, quàm à proprijs ciuibus importentur; & virtus nusquam aduena, vbiq; patriam habeat; nec à nobis iurè censeantur extranei, quorum ope ac beneficijs, maximè intimorum Charitatem & auxilia experimur. RVTFRIDVS natione Gallus, in Cluniacensi Sanctissimo Cænobio ad Monasticæ vitæ normam adeò perfectè mores suos conformauit, vt tempore procedente, varijs præfecturis sit insignitus. In eo præclara prudentiæ & virtutis opera, WILHELMVS Antistes Cluniacensium, altiori expendens consilio, plurimi hominem fecit, eumq; lustrandis diuersarum Prouinciarum Cænobijs Commissarium adhibuit, atq; eius accuratissimâ operâ in instaurandâ Monasticâ disciplinâ non semel vsus fuit. Deinde cum in Poloniâ, stridentibus armis, ex bellorum æstu in bono animi tepescerent, TINECIÆQ; nec non alibi, à præscripto Regulæ aliquid recederetur, venerandaq; statuta Reformationis æstimarentur minus; optimo consilio RVTFRIDVS eò directus est, vt eius præclaræ dotes & insignis religio, in laxitatibus eliminandis & reparandis rei claustralis iacturis, ibi quoq; peruulgarentur. Cuius sollicitudine & prudentiâ singulari effectum fuit, vt quidquid bellici furores in legibus Monasticis malè dispensare præsumpserant, id totum, ad debitum morem & veterem obseruantiam, per eum sit reductum. Rebus itaq; in Poloniâ rectè compositis, & ad orbitam à quâ exerratum erat accommodatis, tandem acceptâ perhonorificâ de suis laboribus religionis causâ susceptis commendatione, in

ne, in Burgundiam redierat. Cum ecce post anni non plenum interuallum, significatum fuit, TINECENSEM vacare per obitum CHVVALIBOZII sedem, & de successore diuersorum fluctuare vota, plerisq; contendentibus, vt is soli Polono Magistratus commendaretur. Pro eâ, quam, à primâ TINECENSIS erectione Domûs, habebat authoritatem Cluniacense regimen, iteratò destinauit RVIFRIDVM, vt sopitis Fratrum differentijs, TINECIÆ vtilem personam præficiendam curaret. quorum dum ille studia & vota ad rectum dirigit modum, prouocauit animos eorundem, vt in eum summâ omnes voluntate concurrerint. Quo suscepto munere, calamitati illius temporis obuiando, studium & curas omnes eò intendit, vt sanctissimarum legum cultus, ad primæuam institutionis normam studiosissimè reuocaretur. Verum cum prudenter intelligeret id ipsum nullâ ratione se consequi posse, nisi prius ex Regulæ præscriptò, quæ cuiq; opus essent, religiosâ liberalitate, concredito sibi cætui peramanter impertiret, recuperandis Cænobij fortunis animum atq; operam adiecit. Quo in genere GREGORII Noni summi Pontificis, non parum adiutus est beneuolentiâ amplissimisq; Diplomatibus. Per id tempus, CONRADVS Masouiæ DVX, bello BOLESLAVM Pudicum premens, in TINECENSI MONASTERIO mille præsidiarios milites collocauerat, locumq; in Arcis formam munitum valide obfirmauerat: hîc demum cæpit depopulatio bonorum MONASTERII enormis, religiosorum pax statione militum perturbata, mænia per insultus disiecta, sæua rerum vbiq; confusio; ac tandem à PVDICO Arx TINECENSIS vi in eius potestatem redacta, varijs incommodis & damnis, Status MONASTERII, mirum in modum extitit cumulatus. Neque tamen ABBAS in his angustijs constitutus, se ipse deseruit, sed admirabili prudentiâ & lenitate vsus, infestas Principum copias, ab infessis MONASTERII ædibus, paulò post submouit, oppidaq; & villas grassantium militum rapinis exhaustas, bello remittente diligentissimè studuit reparare. Conrado verò Duci & authori tantorum in Regno malorum, malum reddidit Iustus Vindex DEVS, cuius filium MIESCONEM, sub tempus conuiuij, quod de Patris Victorijs iactabundus instruxerat, ingens murium subitò in palatijs enata multitudo, dirum in modum viuentem absumpsit,

exemplo memorando, auaris Principibus, ne nimiùm ambiendo bona proximorum, propria amittant, & caris pignoribus, quibus Jmperia lata quærebant, infausti destituantur. At verò præter clades receptas à militibus, Cracouiensem oram, imò totam afflixerat Poloniam, fames ex aquarum inundatione coorta, pestiśq; atrox postea subsecuta, quæ triplicata mala, post consumptam ingentem multitudinem populi, Regnum amplissimum stupendè exhauserant. Interea RVTFRIDVS, interdiu noctuq; cum suo cætu Diuinis intentus precibus, ad mores & disciplinam sedulo excubabat, & sacri Jnstituti integram obseruantiam à suis exigebat: ea vicissim accuratissimè prouidendo, quæ illorum victûs cultûsq; ratio ab ipso exposcebat. Quibus perfunctus negotijs, premente iam senio, lassoq; ex continuis malis animo, & corpore ægro, post laudabilem dispositionem Domûs, & data adstantibus Monita, religiosè sacris procuratus, placidissimè excessit de vitâ, ob rerum gestarum copiam, apud posteros gratâ semper recordatione victurus. Obijt anno 1232. Die 27. Augusti. Præfuit autem propè Annos Viginti.

Non poterat tolerare boni vigilantia cordis
Immemor officij dum nequit eße sui.
Irrepsiße videns quædam sensimq; remitti,
Antiquus voluit quæ tenuiße rigor.
Corrigit hæc RVDFRID *melioribus vndiq; curis,*
Ad fontemq; suum mystica vita redit.



GODFRIDVS, ABBAS XIV.



GODEFRIDO neq; merita defuere ad suscipiendum TINECENSIS ABBATIÆ honorem, neq; virtus postea, ad eundem religiosè laudabiliterque retinendum. Et quan-

quanquam difficillima tempora Poloniam premerent, cum Magistratum iniret, suâ tamen virtute & prudentiâ, exulceratis rebus medelam adhibuit, generosâ mente aduersa cuncta ferendo. PVDICO Principi inter paucos carissimus fuit, eiq; ab obsequijs Spiritualibus, vti testes adsunt literæ eiusdem, quibus Tributum certum TINECIÆ se contulisse memorat. Exactis itaq; inter curas diuersas annis decem amplius, cum grauiori animi cruciatu & tristitiâ conflictaretur, quod imparem se videret propulsandæ á suo cætu tot ingentium calamitatum multitudini, suppliciter Cæleste Numen precatus, vt meliora daret, tandem collecto spiritu, integerrimus Præsul, ad pacatiorem transiuit vitam, præreptus grauioribus malis quæ mox sunt subsecuta. Ex hac mortali vitá ad immortalem transiuit, XIV Kalendas Iulij, anno 1248.

Sceptra BOLESLAVS *dum nomine req;* PVDICVS,
Magnus ab insigni REX *pietate, tenet.*
Floret in eximij GODFRIDVS REGIS *amore,*
Dilectus pariter fratribus ille suis.
Suauis enim cunctis placidæ moderatio mentis,
Suaue viro regimen, promptaq; corda dedit.



BOLEBORIVS, ABBAS XV.

BOLEBORIO, ABBATIS insignia, propria virtus adæque, ac Monachorum beneuolentia, conciliárunt. Quam de ipsius virtute ac sapientiâ conceperant Patres excellentem opinionem, egregiè sustinuit; nam sui Magistratûs tempore, Iura Cænobij integra conseruauit, & alia ampla, vtiliaq; apud Principem acquisiuit. Pro-

pter eximiam ſanctimoniæ & prudentiæ famam, à BOLESLAO PVDICO, ſummâ veneratione excultus eſt, & libertates nonnullas à regijs contributionibus conſecutus. Sed quod Monachum eundemq; ABBATEM, præ cæteris rebus decebat maximè, ſingulari ſtudio atq; induſtriâ perfecit, vt TINECIÆ, Diui BENEDICTI Regulæ, Monaſticiſq; Inſtitutis, plurimum obſeruantiæ impenderetur. Exceſſit è vitâ, X. Kal: Octobris Anno 1259. Præfuit annis vndecim.

Quam benè priſca tibi BOLEBORI *claret origo,*
Tantus virtutis cum tibi claret amor.
Non tua ſolicitis auges faſtigia curis,
Publica ſed cordi commoda fixa tuo.
Multa TINECENSES *ornant inſignia per te,*
Hæc eſt virtutis dos pretioſa tua.



MODLIBOSIVS, ABBAS XVI.



HOrrendum illud malum, quod portenta rerum, cæleſtia oſtenta futurum præſignabant, iſta temporis intercapedine, irata Poloniæ fata obtruſêrunt. BOLESLAVS Pudicus, cùm ſua KVNEGVNDE, par coniugum Sanctiſſimorum, ſceptra Poloniæ tunc ferebant, quos cùm ſupra communem mortalium ſortem, virtus extuliſſet, parem magnæ virtuti fortunam, nunquam habuerunt. Et ſi enim, Fortunæ facies æquè bonis ac malis, communis dicatur, hîc tamen, optimis peſſima, peſſimis optima, eueniebant: vt cæcam eſſe fortunam, niſi cæci ſimus, vel inde agnoſcamus. BOLESLAVS itaq; inter bellica educatus fulgura, & CONRADI patrui

bello

bello iniquissimo diuturnè pressus, cum KINGÆ pudicissimæ nupsisset, vt firmius solium imperandi, faceret sibi, tum potissimum aduersans fatum, eiusq; virtutibus infensus Tartarus, non re minus quam nomine, affinium sibi Tartarorum, Tartareas planè furias, Regno immisit. Ex quorum illapsu crudelissimo, tam flebilis vbique rerum, & Regnorum facies apparuit, vt ipsæ Aræ, in focos versæ fuerint, ipsi Diui fanis exuti suis, multæq; vastatæ & solo æquatæ Prouinciæ, & plurima per barbaros præda abacta. Et quanquam immanitatem eam, cum plurimis exercuerint Regnis, atrocius tamen egerunt, cum Poloniâ & vicina eius Silesiâ, quas, post incendiorum fatales fumos, ad cineres omninò condemnauerant. Neq; CÆNOBIVM TINECENSE, tametsi in Arcis formam munitum, eius cladis acerbissimam calamitatem, effugere potuit; cum enim barbaries Scythica instaret, TINECENSES, in montes Vngariæ magis præruptos, concesserant; asportatis secum maioris pretij rebus, idq; nonnullis tantùm, cùm illum omnem, tam sacrum, quàm profanum thesaurum, qui tot annis, tot Principum liberalitate, ac Monachorum parsimoniâ coaluerat, auehere, & amplissimam supellectilem recondere, in tam subitâ & perceleri irruptione, omninò fuerit impossibile: tum barbari, vacuum hominibus aggressi Monasterium, immanissimâ feritate direptum, euersumq; subiecto igne solo æquauerunt. MODLIBOSIVS sub hæc calamitosissima tempora, generis nobilitate, & virtutis famâ conspicuus, TINECENSEM administrabat familiam, qui & ipse post abscessum hostilem, & euolutas barbarorum nubes, redux TINECIAM, illius domicilia incendio delata & obruta, lacrymis prius expiando, auspice Pudici egregiâ virtute, summâ in viuos, Diuosq; liberalitate, sensim restituebat. Quo in labore, viribus succumbens, plurimisq; attritus malis, erectâ in Deum fiduciâ, in aliam translatus est vitam, III. Nonas Martij, Anno 1271. Præfuit Annos duodecim.

Tartaricas acies, MOLIBOSIVS *inter, & ignes,*
Sarmatiæ populis vltima, fata timens,
Viderat & lacrymas, & lamentabile fatum,

Illacrymans patriæ vir pius excidio.
O quam Diuinæ grauis indignatio dextræ,
Vindicat extremis cum mala nostra malis.



COSMAS, ABBAS XVII.

PRouerbio dicitur; Magna infortunia, solitaria non incedunt, sed vbi semel cæpêre, præcipitant. Hoc factum, cum Poloniâ; in quâ, post sanguinarias inundationes barbarorum, subsecutæ sunt inundationes fluminum; & tam diram armorum messem, ingens fuit comitata fames: vt priores hostium gladij, pestiferæ mortis falcibus, veluti prælusisse, videantur. Insolitus præterea terræ motus, sub id calamitosi temporis acciderat, & è cælo sanguinea pluuia in diuersis locis copiosè defluxerat; vt ex his Naturæ inordinationibus, diuinare possimus, terram è centro suo exire voluisse, vt suorũ incolarum fugam subsequeretur; aut veriùs, tantis malis grauatam, sub pondere laborasse, omninò ruituram, si quo caderet, habuisset. Cælo quoq; communem causam, cum Poloniâ fuisse, cuius fluuij, cæsorum sanguine cum essent cruentati ijsdem quasi vulneribus, cælum affectum fuisse; aut potiùs tot insontium sanguinem cælo receptum, afflictæ Poloniæ, à gratis nubibus redhibitum. Insuper, monstra rari effectus simul enata, in stuporem omnes adegerant; nam eodem tempore, nobilis matrona, triginta sex pueros, vno partu effuderat: Vitulus quoq; biceps, septem pedibus inter viuos prodierat: adhæc puer natus fuit, cum solidis statim dentibus, & quo die in lucem editus, eodem distinctè & articulatè locutus fuisse scribitur: & alia his consimilia, quibus homines recenti consternati cæde, plane exanimes reddebantur. Hæc verò proximè

mortem

mortem Pudici præcesserant, qui anno 1279. IV. Idus Decembris vitam cum morte commutauit; aureus verè Princeps, tametsi ferreum seculum, eius imperio obuenisset. Sic stantibus in Poloniâ rebus, æquè turbidæ, apud TINECENSES fuerunt; ad quarum procurationem, COSMAS ABBAS fuit subuectus, vir alias ingentis consilij, & admirandæ sapientiæ ac fortitudinis, qui etiam inter illud difficultatum chaos, optimi simul ac prudentissimi Rectoris, cumulatissimam laudem est assecutus. Pudicum, in viuis adhuc agentem, omnibus humanitatis & obsequij officijs, à se excultum, in rem Cænobij, arctiore sibi beneuolentiâ copulauerat, & ab eo magni momenti priuilegia, & gratias obtinuerat. LESCONI quoq; successori ad fasces acceptissimus, summam eius erga se, ac totum sodalitium Tinecense, beneuolentiam ac liberalitatem expertus est. Ædificijs competentibus, à LESCONE Cænobiû est reparatum & auctum; oppida & villæ, ab oneribus publicis & regalibus, libertate donatæ; & mero Dominio, absolutâq; iudicandi, in omnibus suæ ditionis oppidis & pagis potestate, TINECIA insignita. Decretum quoq; ac sancitum ab eodem est Principe, vt lites & causæ hominum, intra TINECENSE Dominium consistentium, coram Iudicio ABBATIS pertractarentur, & pænæ luitæ eiusdem fisco numerarentur. Vicissim ABBAS, multiplices in se LESCONIS gratias, omni studio officiorum cumulare pergebat. Ad cuius etiam Principis instantiam, Monasterium Ordinis Prædicatorum, in Opatouiec TINECENSIS sui Monasterij hæreditario oppido, Anno Domini. 1283. fundauit, & nonnullos agros & terras eidem Monasterio, pro culturâ, horto & pomario, idem COSMAS, (quem aliquî priscarum literarum similitudine decepti, THOMAM erroneè scribunt) attribuit. At verò COSMÆ prudentia & sedulitas, vt eximia fuerit & excellens, longo tamen interuallo, ab eius egregiâ pietate, religiosissimisq; moribus, vincebatur. Quare, inter angustias & desolationem bonorum Monasterij religiosæ vitæ exercitationem promouens, diligenter studuit, vt domestica, per occasiones bellorum nonnihil labefactata disciplina claustri, ad priorem reuerteretur cultum, & intermissi assumerentur vsus. Quin etiam, ædes instaurando, Fratres colligendo, & ad obseruantiam inducendo, TINECIAM claram reddidit & venerabilem. Deniq; meritis

meritis abundans, & rectè factorum conſcientia locuples, migrauit in cælum, Sexto Idus Septembris. Anno 1287. Præfuit Annos quindecim.

Dotibus eximijs COSMAS *quod culmen honoris*
Promeruit, ſummâ non ſine laude tenet.
Multa viri pietas, rerum prudentia, candor,
Grande ſalutaris conſilijq; penu,
Principibus placuere viris. Sed verius ille,
Nil maius cenſet, quàm placuiſſe DEO.



DANIEL, ABBAS XIIX.

DANIEL, vir proborum deſideriorum, & magnæ integritatis ac prudentiæ ABBAS, ſubrogatus eſt COSMÆ, in Magiſtratum TINECENSEM. qui erigendo, quâ poterat celeritate attritum MONASTERIVM, arctis illud legibus, ad priſtinam integritatem reparandam conſentaneis, communiuit. Tametſi verò, reliquarum omnium virtutum præſidijs quas in religioſi Cænobij Præfecto, elucere par erat, egregiè fuerit inſtructus: præcipuè tamen, inflammatam quandam communis diſciplinæ tuendæ voluntatem ac zelum præ ſe tulit; cuius admonitu, ab omnibus, quos in religioſâ palæſtra formandos, fingendoſq; ſuſceperat, totius domeſtici moris arctiſſimam cuſtodiam, ſeuerus exigebat: præteriti faſtus recordationem,& tumentes ſeculi ſpiritus, abiectiſſimis functionibus prudenter in eis contundens ac proculcans. Quippe, VLODIMIRVM Ducis Oſuęcimenſis filium, (qui vehementiore pietatis flammâ incale-

incalescens, Ducali abdicato cultu, Monasticum schema susceperat TINECIÆ) & plerosq; alios, è nobilitate Monachos factos, infimis claustri ministerijs addixit, & eorum constantiam profectumq;, laudatissimis religiosæ humanitatis ac patientiæ tentamentis, explorauit. Illustri vtiq; ac memorando, ad sacrorum Cætuum Rectores documento, ne auitæ disciplinæ robur, cuiusuis subditorum languore, infringi sinant, vel remitti: cum longè consultius sit honestiusq;, clarissimis ortos natalibus ab Religionis ingressu arcere; quam cum tenui, primæuæ institutionis iacturâ, in conuictum ac societatem aliorum recipere: si quidem dicatis DEO familijs, non aduentitio secularis potentiæ ac nobilitatis splendore, sed ardenti humilitatis studio, honorumq; contemptione, ac fugâ, verum decus, & germana nominis celebritas, comparatur. DANIEL itaq;, sub breui regiminis sui spatio, iustum numerum Monachorum conscripsit, & propter furias armorum strepentium, iacentem cælestis Philosophiæ exercitationem, secundissimo euentu subleuauit, deiectamq; feritate Scythicâ TINECIAM, ad prospectum anterioris splendoris prouexit. Demum pietate, & rebus gestis clarus, transiuit ad Empyreum: VIII. Idus Iunij, Anno 1293. Sedit annos sex.

Viscera cum DANIEL *veri dilatat amoris,*
Noluit angusti corda paterna sinûs;
Obsequium potius CHRISTI *numerosius auget,*
Selectasq; animas ad meliora vocat.
Felix quem soboles circumdat tanta parentem,
Ex natis surgit vera corona patris.



ALBERTVS I. ABBAS XIX.



LBERTVM, TINECENSIS sodalitij administrationem, vertentibus his annis, aliqui dubitant habuisse; quem etiam in Catalogo ABBATVM ponere, non sunt dignati. Verùm aliter, Carta membranea PAVLI Episcopi Cracouiensis, de Anno Domini 1297. expedita docet; in quâ sibi, ALBERTVM ABBATEM TINECENSEM, duas villas, prò Decima ex Lincze dedisse supertestatur. Nullam verò vtilitatem exhoc decimandi iure, TINECIA aliquando percepit; & ALBERTVS ægrè, non integram Mensium hebdomaden, in suo Magistratu impleuit: Sexennio post abrogatum regimen vixisse, & primùm anno 1298, XVI. Kal: Aug: obijsse scribitur. Vacauit sedes Abbatialis annos tres.

Plus ALBERTE cupis debeat quàm, velle placere,
Cum tibi sufficiat religionis amor.
Aula quod incertis simulata fauoribus offert
Quid spectas? minimo tollitur illa gradu.
Vna salus animæ, pro Christo velle mereri,
Spem talis meriti, gratia certa manet.



HENRICVS I. ABBAS XX.



ENRICVS ad TINECENSIS ABBATIÆ gubernationem, Monachorum suffragijs promotus, magno cùm splendore, pariq; cum laude in eâ se gessit. Præfuit

annis quatuor, & mensibus aliquot. Per eos dies, reipublicæ Polonæ statum, inimicus fortunæ turbo grauiter concusserat, cum PREMISLAVM Regem innocentissimum, ex Marchiâ siccarij vulneribus confodissent. HENRICVS in mediâ ætate, vltimam vitæ periodum sensit. Nonis Martij, Anno CHRISTI nati 1301.

Optima momentis breuibus plerumq; feruntur,
Atq; cito fugiunt proh dolor illa pede:
Sic tibi collati dum longam poscit honoris
Annorum seriem, relligionis amor:
Raptus es ex oculis, præstans HENRICE, *tuorum,*
Sed tamen implesti tempora longa breui.



IOANNES CZYŻYK, ABBAS XXI.



Hic in ABBATEM electus, è re Monachorum publicâ, suâq; è dignitate TINECIÆ præfuit: par enim virtus animi, cum splendore Natalium, ei simul obuenerant. Laxatis ex licentiâ bellorum, animis quorundam, ipse ad omnem virtutem ac sanctimoniam præiuit, ardenti studio cultum DEI promouit, & Cænobium structuris amplificauit. Eo Præside, ab almâ Congregatione Cluniacensi lex & Decretum latum, apud TINECENSES promulgatum fuit, vt ABBAS TINECENSIS MONASTERII Cluniaco subiecti, à suis Monachis electus, Magistratum ne capesseret, nisi præuio Cluniacensis Præfecti assensu; Cluniacum, secundo quoq; anno proficisceretur, et per totam Poloniam vices gereret Cluniacensis ABBATIS. JOANNES à naturâ ad omnem probitatem formatus, neque parcus laboris, cum nouem annos re-

ſtaurandis moribus, tectisq; TINECIANÆ Domûs impendiſſet, tandem factus eſt in pace locus eius. Obijt anno 1310. quarto Jdus Nouembris. Præfuit annis nouem.

CZYZOVIIS, *Illuſtre genus, nomenq; vetuſtum,*
Debuit, illuſtri vir pietate grauis.
Nobiliorq; ſuâ Præſul virtute IOANNES,
Vindex officio, ſed pietate parens.
Hinc illi regimen placidis effloruit annis,
Impleuitq; ſui muneris omne decus.



IOANNES II. ABBAS XXII.



LADISLAI LOKTICI Regis Poloniæ ſtudium ac pietas, in TINECENSEM Domum hoc tempore eluxit, qui firmato throno ſui regni, cum rebelles plecteret, fortunas TINECENSIVM auxit. Jd verò IOANNIS ABBATIS intuitu præſtitit, in quem ſingulari animi ſui propenſione ferebatur, eumq; in adeundâ ABBATIÂ adiuuerat. Cæterum IOANNES genere & probitate inſignis, ac liberalium artium peritiâ clarus, non minus pro conſeruandâ Pietate ſtuduit, quam pro tuendâ temporalium rerum ſubſtantiâ præſtitit. Eius eximiæ in DEVM & Ordinem, Pietatis hæc argumenta feruntur: Chorum ad pſallendas DEO laudes ſemper adibat; quotidie Miſſæ Sacrificium habebat; ſingulasq; Monaſterij officinas accuratè perluſtrans, ſedulò prouidebat, ne Sanctiſſimarum legum Decreta, & diuturno vſu firmatæ Conſuetudines Ordinis Cluniacenſis, temerè à quoquam violarentur. Adeò illum hoc inprimis anxium habuit & ſolicitum, ne Diui BENEDICTI diſciplina quid-

quidquam detrimenti caperet, neue minus integrè quam par esset, à suis sectatoribus coleretur. Hinc aliorum socordia culpanda venit, qui Monasticæ disciplinæ Sacroq; Ordini tuendo Præfecti, summo in otio, curarumq; vacuitate, Sanctissimas leges & ipsimet stolidè perfringunt, & ab alijs passim negligi ac vilipendi, nec magnoperè laborant, nec molestissimè patiuntur. Annos XII egit in curâ Pastorali. Sublatus morbo, septimo Kalendas Iunij, anno 1322.

Peruigil in studio veræ virtutis haberi,
Quisquis amat, summo fulgeat ille loco.
Hoc egit clarus vitæ probitate IOANNES,
In summo positus, dum pietate micat.
Exemplo prodestq; alijs, & fortius vrget:
Pastoris, lux est optima, vita boni.



MICHAEL I. ABBAS XXIII.



ICHAELI propter eximias dotes à Monachis Magistratus TINECENSIS delatus, ipsius acerrimam pro Sacri sodalitij indemnitate ac tutela susceptam contentionem, abundè demonstrauit. Magnates quidam Monasterij iura & fortunas occupauerant, quos Ecclesiastico gladio prius perculsos, ad Regis tribunal uocauit, causâq; obtentâ, bonam prædiorum partem in Submontanis recuperauit, & sic non paruam sibi laudem, neq; parum Monasterio emolumenti, comparauit. Et quanquam prouidè res semper tractaret, susceptâ tamen Gubernatione oppidi BIECZ, quod ad confinia Regni situm, contra irruptiones Vngarorum pro munimento non-

non inualido erat, cum ipse abesset, & Substitutus remissius inuigilaret, ab Vngaris fuit interceptum, vnde procursantes Vngari latè viciniam deprædabantur: ad quos exturbandos REX LOKTICVS non paruam manum collegit, sicq; redacto in suam potestatem loco, non amplius ad ius EPISCOPI CRACOVIENSIS Biecz peruenit, quod ei á VENCESLAO REGE commutationis viâ datum, perpetuò seruiebat. super quo damno, Muscata Cracouiensium Præsul ABBATEM Iure conueniens, villam Przeczyca ab eo recepit, vti in suo Epitaphio Mogilensi idem Antistes insinuat. MICHAEL verò quinquennio exacto in ABBATIÂ, officio simul & vitâ exutus est, Anno 1328.

ABBATIS *summo*, MICHAEL *respondit, honori,*
Intentus curis, officijq; memor.
Non tamen ille pari respondit sorte regendi,
Præsuleo Beciam nomine quando regit.
Interdum cautos etiam prudentia fallit,
Exercetq; bonos sors mala sæpè viros.



LVDFRIDVS II. ABBAS XIV.



Aturæ dotibus & doctrinæ præsidijs benè instructus LVDFRIDVS, TINECENSEM sedem obitu MICHAELIS vacantem, obtinuit, interuentu Regiminis Cluniacensis, à quo in Poloniam ablegatus fuit. Hic à REGE LOKTICO impetrauit Priuilegium, quo decernebatur, vt bona, MONASTERII TINECENSIS, siue venditionibus, siue donationibus distracta & auulsa, & ad Nobiles terræ, vel ciues Cracouiæ quocunque deuoluta

luta modo, postliminio Conuentui restituerentur in toto, nulla facta mora: cuius Decreti vigore, nonnulla MONASTERII bona LVDFRIDVS ab indebitis possessoribus recuperauit. cumque TINECENSES fortunas, largitionibus variorum amplificat, & obtentis Priuilegijs stabilit & confirmat, libertatesq; primitùs indultas, & Iura Cænobij inuicto animo propugnat, à quibusdam Potentatibus pertinaciter impugnatur. Hinc non tam senio, quam ærumnis & mærore confectus decessit è vitâ; hoc inprimis apud posteros commendandus, quod suo exemplo præmonstrauit, in defensione sacrorum, naturæ potius, quam cuiuslibet potentiæ atque iniurijs concedendum. Quo ægrius mihi ferendum est, non defuisse è Fratribus quosdam, qui tantæ integritatis tantiq; roboris ac sapientiæ Præsulem, auectionis Thesauri TINECENSIS reum egerint! at opinor, qui vitæ periodum LVDFRIDI religiosè & prudenter traductam, honorificamq; de ipsius virtute opinionem, & summam solicitudinem diligentiamq; in repetendis Cænobij bonis, sano oculo contemplabitur, facti huius suspicionem à LVDFRIDO amolietur, nec vllum relinquet locum, de illius integritate & fideli administratione, apud æquos rerum æstimatores amplius dubitandi. Quin hoc ignominiosum commentum in eos recidat, est opus, qui Disciplinam Sacri Instituti quam is ardentius promouebat perosi, virum omnium virtutum laude cumulatissimum & defensorem Cœnobij acerrimum, facinoris tanti ignominiâ notabant, & verbis acerbis traducere non desistebant. Mortuus est anno 1335. Prid. Kal. Febr. Præfuit annis septem: Vacauit sedes Menses quinq; & dies viginti.

Sacrilegos contra fortis LVDFRIDE *stetisti,*
Agnouitq; parem vis inimica virum.
Cum violenta manus prauisq; furoribus acta,
Eriperet, CHRISTO *quod pia dextra dedit.*
Magnanimos excelsa decent: proprijsq; periclis
Damna gregis, veri Præsulis arcet amor.

MICHA-

MICHAEL II. ABBAS XXV.

TINECENSES, post vacationem semestrem, ab obitu LVDFRIDI, Cænobij regimen MICHAELI, è nobili Polonâ stirpe demandarunt, non tam generis claritate, quàm virtutis ac solertiæ præstantiâ adducti. A CASIMIRO REGE LOKTICI filio & successore, Decretum recepit, de tutâ bonorum Monasterij possessione, & vt adscripticij subditi, in Ius Theutonicum translati, gradui pristino restituerentur. Idem ædificia Monasterij nonnulla reparauit, & supellectili domesticâ auxit, insigni quorundam liberalitate adiutus. Tandem MICHAEL, relatâ prudentis ac religiosi moderatoris haud sanè mediocri commendatione, decessit, VI. Nonas Iulij, anno vindicatæ salutis, 1343. Præfuit annis sex, Mensibus duobus.

Commißum Pastoris opus dum gnauiter implet,
Communi MICHAEL *inuigilatq; bono;*
Ad sacros vsus per eum pretiosa supellex,
Atq; Domûs Domini surgit vbiq; decor.
Mundicies animæ nam quanto purior intus,
Templorum, tanto plus amat illa, decus.

BOGVSSIVS, ABBAS XXVI.

TAmetsi BOGVSSIVS in antiquo ABBATVM TINECENSIVM Indice non sit descriptus, cum tamen Metricula, ex quâ Nominâ Defunctorum in dies singulos recitantur, ABBATEM TINECENSEM edicit, & 21. Nouembris,

anno

anno 1345. vltimum obijsse diem, est testis. Membraneæ quoque Cartæ, in Tabulario Monasterij ex antiquò seruatæ, disertis verbis BOGVSSII meminêre. Subijcio exemplar vnius. *JOANNES DEI gratiâ Dux Osuecimensis. Fidelibus suis, Iudicibus, Subiudicibus, Aduocatis, & alijs omnibus Officialibus tam in seculari quam in Spirituali iudicio, Ducatus sui Præsidentibus, gratiam suam & omne bonum. Mandamus vobis firmiter & districtè, gratiæ nostræ sub obtentu, quatenus Religiosos viros Dominum ABBATEM & suum Conuentum & suos familiares, TINECENSES, in causâ contractionis debiti, & in rapinis, furtis, spolijs, venditionibus villarum, vel scultetiarum & quibuscunq; alijs factis, quæ sunt facta vel ordinata per BOGVSSIVM olim ABBATEM ibidem TINECENSEM, iudicare, vel ipsos ad aliquam pœnam condemnare non præsumatis; querulantibus verò perpetuum silentium de dictis Fratribus imponentes & hoc perpetuo tenentes. In cuius rei testimonium, ad obediendum firmius nostris mandatis vobis in his scriptis factis & tenendis, nostrum sigillum est appensum Datum Osuecimeni, in Vigilia B. Thomæ Apost: Anno Domini 1344.*

Hinc conijcio, BOGVSSIVM vel propter Cænobitarum inordinationes & fastidia, seipsum vltrò ABBATIS onere & præfecturâ remouisse; vel propter incuriam & neglectum Institutorum Ordinis, aut ob dilapidationem alienationemque bonorum Cænobij, à suis Magistratu exutum esse. Certè deflendi veniunt mihi plurimi, qui patrimoniô, Diui BENEDICTI Præfecti, spontaneâ distractione bona Cænobiorum dilacerant, & profusius se ipsos tractando, euertunt pauperum horrea. Tales aduertant quid Sanctus Pater c 57 *Reg.* moneat. *Memorentur Ananiæ & Saphiræ, hi per quorum manus res Monasterij transiguntur, ne fortè mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes qui aliquam fraudem de rebus Monasterij fecerint, in anima patiantur.* Deniq; de BOGVSSIO id à quibusdam accepi, idcirco alijs connumeratum non esse Abbatibus, quod tumultuosè per seditionem subrogatus, malè partam administrationem, nihilo meliori arte ac sapientiâ retinuerit. In eo Magistratu, non eum, vltra biennium egisse, supponendum est. alias, dies & annus eius obitus, claret ex allegatis.

Ardua res honor est, onerisq; grauissima moles,
Quam te BOGVSSI *deposuisse iuuat.*
Causa latet; quæcunq; tamen sit causa, recepti
Muneris; est animæ tutior illa tuæ.
Sæpe bonos etiam Prælatos, multa necesse est,
A male subiectis, immeritoq; pati.



SILVESTER, ABBAS XXVII.



SILVESTER clarâ prosapiâ natus, ABBATIS dignitate TINECIÆ est insignitus, qui in eo fastigio constitutus, sui generis dignitatem, & Monachorum de seipso expectationem gnauiter conseruauit. Cum videret, antecessorum Præsidum incuriâ, vel potius iniuriâ temporum, bona quædam TINECENSIS Conuentus ab alijs detineri, solerter institit, egitq; laboriosè, vt ablata integrè compensarentur. Multorum intemperies de populo, & fæda libido, Epidemiæ morbo grassante intra Poloniam, eius tempore castigata fuit. Naturæ concessit anno 1349. sedit annos quatuor, & menses quinque.

Insignes sine laude viros, quod longa vetustas,
Esse sinat; seclis omnibus illa nocet.
Nomina vix seruans: decora immortalia vitæ,
Exemploq; alijs acta futura, tacet.
Hoc tibi SILVESTER *cum fecerit, inclyta virtus*
Te tamen æternâ non sine laude, feret.

HEN-

HENRICVS II. ABBAS XXVIII.



Vandoquidem ea tempora TINECIÆ impendebant, quæ insignis constantiæ Præfectum exposcerent; defuncto SILVESTRO, HENRICVS sufficitur. Qui cum parem virtutis excellentiam, cum stemmate OSTOIA, ad gubernandum attulisset; egregiam nactus fuit hoc in officio indoli exercendæ atq; illustrandæ materiam. Quam in reprimendâ aliorum Auaritiâ, qui Iura Cœnobij iniustè vsurpabant, demonstrauit, multumq; animi & roboris, pro conseruandis possessionibus, ad extremam vsq; senectam exeruit. Monasticis quoque disciplinis probè communitus, petulantium machinationibus fortiter restitit. Eius tempore, insignis pietatis & munificentiæ Archiepiscopus Gnesnensis, IAROSLAVS SKOTNICIVS, S. NICOLAI Capellam Vniciouiensem, TINECENSIBVS contulit. obiit anno Domini 1354. XIIII. Kalendas septembris. Præfuit annis quinque.

Vis animi generosa tui, de sanguine prisco
OSTOYCZYKORVM, Nobilitate nitet.
Sic clarere tamen, minus est tibi, ni tua virtus
Te clarum reddat; quod probitate facis.
Nobilitas auro similis quos ornat, in illis
Gemma velut, virtus & proba vita, micat.



IOANNES III.
ABBAS XXIX.

IOANNES stirpis generosæ proles, cum multos nobilissimos Heroas, inter familiæ suæ decora numerasset, haud quaquam degener ipse, post acceptum Magistratum TINECENSEM, contentissimis studijs illud egit, vt egregia maiorum suorum facinora, & præcedentium ABBATVM zelum eximium, suis & ipse ornamentis ac dotibus cumularet. Neque verò conceptâ spe de se ipso, susceptisq; honestissimi consilij conatibus, frustratus est: si quidem IOANNES seuerioris Instituti normam, cum à puero inter TINECENSES vltrò admisisset, vitæ innocentiâ, morum grauitate, rerum vsu, diuinis humanisq; literis egregiè fuit instructus. Præfecturam TINECIÆ quinquennio gessit, satis breuem, at multis implicitam difficultatibus; quas tantâ virtute & animi constantiâ deuicit, transegitq;, vt nec animum vnquam despondenderit, nec superari à quoquam potuerit. Potentissimos & primi in Regno Ordinis aduersarios, qui contra ABBATEM & TINECIAM, factâ conspiratione coniurauerant, non modo sustinuit intrepidè, sed incredibili etiam æquanimitate ac patientiâ, mitigatis eorundem animis, sibimet & suo Conuentui conciliauit ac deuinxit. EVSTACHIVS Castellanus Lublinensis, vir potens & temeritatis notæ, plerosq; uicos & oppida Cænobio per vim & scelus ademerat, & iniecto terrore, maiores clades & exitium minitabatur; hanc eius temeritatem & ausus nimietatem, tantâ animi contentione perfregit, vt & regis voluntatem Castellano plus æquo fauentem, alio flexerit, & in suam ditionem ablata bona redegerit. Idem speciales ab Innocentio VI. Pontifice literas, quibus perditissimi, Iuris Cænobialis occupatores deuouebantur diris, executioni debitæ commendauit, atq; sortes auulsas in pristinam possessionem TINECIÆ asseruit. CASIMIRVS magnus Rex Poloniæ, IOANNE ABBATE diuersis temporibus TINECIAM religionis ergo profectus, qui

liberali-

liberalitate munerum, quâ priuilegiorum concessione, ipsius magistratum insigniter nobilitauit: sed ipse multo nobiliorem reddidit, subleuatâ Cænobij disciplinâ, retento in omni gubernatione, eodem sanctitatis & constantiæ tenore, nullis vnquam laboribus, nullis incommodis pro tuendâ Monasterij re ac libertate succumbens, aduersariorum terrore, minis, impugnatione, vbiq; superior: donec ætate, ac meritis grauis, fato cessit, X. Kalen. Jul. Anno, á partu Virginis 1359. sedit annos quinque.

Quando profana manus, rebus non parcere sacris
Præsumit, zelo tunc pietatis opus.
Hic animi zelus, pietas hæc, multa IOANNI,
Cum bona raptorum vindicat ipse manu.
Quam torquent auidos, CHRISTI *bona, sæpius hostes!*
Ni DEVS *in seruis excubet ipse suis.*



STEPHANVS I. ABBAS XXX.



DE hoc STEPHANO TINECENSI ABBATE, præter nomen eius, vix quidquam perhibetur. Non amplius anno vnico, Cænobij regimen exercuisse eum, ex Tabulis colligo: obiisse verò anno 1362. die 26. Iulij, in Matriculâ eiusdem Monasterij lego. Hinc probabiliter conijcere licet, illum Magistratu vel sponte se abdicasse, vel certè exutum fuisse, & duos circiter annos iam exauctoratum superuixisse.

Pastorale decus STEPHANVM *cum ritè coronat,*
Mille animi curas, tædia mille trahit.

Aufertur tandem. curis vacuumq; relinquit,
Liberiusq; sibi iam vacat, atq; D e o.
Quisquis amat regimen, summæq; negotia curæ,
Tranquillum mentis non amat ille suæ.



ALBERTVS II.
ABBAS XXXI.



LBERTVS, concordibusne studijs Monachorum subiectus STEPHANO fuit, addubito cum aliqui eum in Catalogum ABBATVM non admittant, quòd sequiori modo fasces prensauerit. Biennium interea euoluitur, quod eius Præfecturæ assignandum maneret.

Mille pericla animæ, vitæ discrimina mille,
Ambitiosus honos quæ fugiamus habet.
Quæritur hic curis passim tamen omnibus: & quò
Otius ille fugit, quæritur ille magis.
O potius tecum fugiant ALBERTE fugacem,
Prudenter tecum qui sapuisse volunt.



IOANNES IV.
ABBAS XXXII.



OANNIS testatæ virtutis ac sapientiæ viri Præfectura, nedum TINECENSI sodalitio apprimè frugifera extitit, sed & alterius ordinis hominibus, insignem vtilitatem

tem & commodum attulit. Cuius prudentia & dexteritas in tantum CASIMIRO REGI placuit, vt eum quam proximum sibi exoptaret, quo eius consuetudinem sæpissimè degustare, consilijs verò & operâ, in rerum difficilium administratione vti posset. Neq; IOANNES pro insitâ sibi humanitate, ac singulari in Regem beneuolentiâ, non adlaborandum Regi, vel eius ministerio non obsequendū putauit. ibat REX dimicatur⁹ aduersus Russorū & Lituanorū colluuiem in arenam conflictûs, vbi barbari tum numero & viribus tum ferociâ & calliditate validissimi erant; Regius verò exercitus, ob stipendia non exoluta moras nectere videbatur: TINECENSIS Antistes thesauri potioris, liberalitate olim Regum Cœnobio collati, partem maiorem, signatæq; pecuniæ Duo Millia Marcarum, vltro regi commodare non extimuit, vel potius indigenti contulit, ne salus patriæ in apertum discrimen adduceretur, sed vt milites donatiuo recepto, ad arma sumenda strictius obligarentur. Gazam pro publicâ vtilitate distractam, cumulauit idem, Regisq; priuilegia, & nouas accessiones Cœnobio acquisiuit. Excellentem eius gubernationem, prudentiæ monumenta pleraq; contestantur. Ad extremùm per annos quinq; rebus ex dignitate, suiq; instituti normâ administratis, meritis diues, felicem obitum est consecutus. septimo Kal. Ian. anno 1367.

Aduersis patriæ fatis, cum publica belli
Tempestas, Regnum Marte furente quatit:
Principis & patriæ, summâ pietate IOANNES
Rebus adest; sumptus, donaq; sacra ferens.
Cogit amor patriæ, sacris non parcere gazis,
Imminet extremi quando ruina mali.



PETRVS

PETRVS I.
ABBAS XXXIII.

PETRVS animum sanctissimis in religione moribus, mentemq; humanioribus literis & sacrarum scripturarum peritiâ cum statim ab adolescentiâ serio imbuisset, biennali spacio, quo TINECIÆ Prælationem sustinuit, subditos integerrimæ vitæ exemplis instruxit, & immortalibus beneficijs Cœnobium cumulauit. Deposuit Magistratum, senio prægrauante, seu verius instantia effugiendo mala. Resignauit anno 1368.

Exiguum tibi munus erat, tempusq; regendi,
Sponte tuâ breuius quod tibi PETRE *facis.*
Longa tibi grauibus non vis fastidia curis,
Priuatimq; magis viuere, dulce putas.
Tollat, qui nescit, mitratam fronte coronam,
Expertum spinis torquet at illa caput.

MARTINVS,
ABBAS XXXIV.

MARTINVS, PETRI Prouinciam, eodem anno excepit, sed ingentibus exceptus simul malis, oppressum se grauiter ingemuit. Quippe gens Lituanorum immanis & sæua, LVBARTO & KEISTVTO Ducibus, funestissimam Poloniæ allatura cladem, Lublinensem & Sendomiriensem tractum copiosè inundauerat. Hic agris illata vasti-

vastitas, direptæ Vrbes, exhaustæ domùs; hîc in obuios quosque promiscui sexus, latrocinijs, verberibus, internecione, impotenter est delæuitum. Præter ea, cum effera gens Religionis odio, auriq; cupiditate inflammata, longius raperetur, neq; sanguinis sitim, cædium infinitate, neq; diuitiarum famem tot vndiq; congestis opibus expleret; ad sanctuarium illud Poloniæ, MONASTERIVM S. CRVCIS de improuiso aduolantes, sacris ædibus expilatis deformatisq; per flammam tectis, nec non pluribus obtruncatis Monachis, Viuificæ CRVCIS insignes particulas, Donarium Diui EMERICI REGIS, Poloniæq; clenodium, auexerunt. Hac incursione & maleficio Lituani impetentes Poloniam, inauditoq; feritatis genere diuexatam, cum ditissimas opes & immensam auri atq; argenti vim ex eâ asportassent, & multa millia hominum abegissent; post abscessum eorum atrox pestilentia Polonos est adorta, quæ & reliquos absorpsit mortalium, & stragem accumulauit. In tot aduersis deficiens animo, tandem & animam expirauit MARTINVS quarto Nonas Augusti, 1372. Sedit annos tres.

Dum populatur agros, & cædibus omnia complet,
Sæuus Lituanicæ gentis vbiq; furor:
In summo patriæ casu, Martisq; tumultu,
Difficilis nimium credita cura tibi.
Non diuturna quidem tibi, sed MARTINE molesta,
Namq; breui varijs cladibus illa scatet.



IOANNES V, ABBAS XXXV.



Luniacensis Congregatio, tam exquisito renascentis Monasticæ disciplinæ cultu atq; obseruantiâ quàm Cœnobiorum numero atq; amplitudine, iunctisq; inter se tum domicilijs, tum Monachorum animis, arctissimo re-

mo religiosæ coniunctionis ac pacis fœdere, latè per totam non Europam modò, sed vniuersam pene Christianitatem extitit celeberrima. Jn cuius aggregato, quoad TINECIA cum plenâ subiectione permansit, tam diu felici successu rerum, opimâ pace, religioso otio, sanctitate, opinione hominum, atq; opibus, cumulata decorataq; excelluit. Verum cum vano obtentu, absolutæ Polonorum libertatis, sensim inspectiones Cluniacensium despicere, & dependentiam auersari cæpit, ex tunc, sicut præscripta Sanctissimæ Regulæ, & pridem vsurpatæ consuetudines haustæ Cluniaco, viluerunt; ita exterior facies temporalium ad insolitas angustias, vacuitates, despoliationes & ad fisci chaos, imprudentissimè est deuoluta. Et meritò; cum ex priori illâ non minus animorum, quam instituti mutuâ communicatione, dici non potest, quanta TINECIÆ adfuerit integerrimæ lætitiæ affluentia: cum alumni Cluniacenses, quo ipsi fruebantur castissimæ disciplinæ bono, cum TINECENSI Cœnobio communicatum optarent; cum regulares visitationes zelosè exercerent, & in suo munere obeundo, cum alias virtutes multas, tum verò inprimis mirificum ardorem, religiosam disciplinam instaurando; & indefessi animi studium præseferrent; nec non sacræ militiæ copias augerent; legum, quas TINECENSES profitebantur, inuiolatam obseruationem exigerent: neq; interim temporalium Monasterij ac iurium procuratio, vel esset omissa, vel remissè negligenterq; pertractaretur. At soluto vinculo, æternum optandæ Vnionis, tunc & claustri infirmior reddita disciplina, exteriora bona & iura per alios distracta & obsessa, atq; ipsi libertini alienæ traditi potestati, cæteraq; inconuenientia, per annos multos, vigentibus præsertim bellis, florentissimæ TINECIÆ plurimùm labis ac sordium asperserunt. Et hanc Congregationis Cluniacensis insignem quondam memoriam, occasione huius perditissimi temporis, quo IOANNES tenuit Magistratum, recensui: cum passim TINECIÆ per summum nefas sortes abriperentur, bona inuaderentur, Præsidibus Cœnobij interea dormientibus, diuisisq; studijs fratrum, quòd intestinis factionibus inuicem diffiderent. Jtaque IOANNES traditam sibi Præfecturam, à Patribus, virtutis & prudentiæ opinione, ac generis eius nobilitate inductis, annis quatuor administrauit, illa tamen latifun-

dia &

dia & agros peramplos ab alijs infessos, summo licet adhibito studio nequaquam recuperauit. Vita functus est, ipsis Kal. Ian. anno 1376. Præsedit annos quatuor.

Nixa quoad sacris Cluniaci legibus hæsit,
Multa TINECENSI, *gloria facta, loco.*
Vnio sed postquam sublata est, omnia retrò
Cesserunt, varijs exagitata malis,
Hoc tibi cum multis licuit sentire IOANNES,
In peius quod eant omnia, quando stupes.



ALBERTVS III.
ABBAS XXXVI.



ALBERTVS Topororum illustri gente natus, ob insignem morum maturitatem, cum virtutum splendore coniunctam, ABBAS creatus est. At suscepto munere Pastorali, ingentem habuit, in suâ prælatione, curarum & tristitiæ materiam: si quidem publicus Regni status, LVDOVICO REGE agente in Vngariâ, concussus vehementissimè, amplissimam viam prædonibus aperuerat; qui turmatim coadunati, & propriæ potentiæ ac viribus confisi, ad hæc legum impunitate allecti, subditos Ecclesiarum insolitis diuexabant statiuis, & eorundem possessiones occupatas hostiliter exspoliando, ausi sunt detinere. contra horum audaciam Gnesnensis Primas, pro sacrorum immunitate tentauit aliquid, sed minus perfecit. similiter ALBERTVS TINECENSIS Antistes, Monasterij sui rationib' consulturus, Principũ virorum gratiã nobilitatis famâ, & officiorũ sedulitate studebat demereri; quod cum

sæpius prensando multos actitaret, vitâ excidit, Quarto Kalen. Octob. anno 1380. cum & ipse nonnulla Cœnobij prædia, inutilibus commutationibus alienasset. Præsedit annos quatuor.

Toporeâ de stirpe virûm, clarissimus ortu
Albertus, meritis par, animoq; probus.
Pannonicis quando residet Ludovicus in oris,
Turbato patriæ præsidet ille statu.
Nil tamen immerso curarum proficit æstu,
Cui libet in turbis, omnia quando licent.



IACOBVS, ABBAS XXXVII.

IACOBVS apud TINECENSES, non magis genere Equestri, quàm proprijs ingenij ac morum dotibus spectabilis, Dictaturam capessens, triennali præsidentiâ, arduis laboribus est perfunctus. IVANVM de Russia, splendidæ Nobilitatis Militem, & qui numerabat plures in aulâ Regiâ perfamiliares, arctissimâ sibi affinitate coniunctos; at simul hominem Clero infestum, & qui suæ auaritiæ habenas laxauerat; in Jus vocauit IACOBVS: quòd pagos aliquos TINECENSES, vicinis suis possessionibus adiungere, & in eis dominium vsurpare, & confinia hæreditatum vetustissima disijcere præsumpsisset: causamq; ABBAS obtinuit, & militem ferocientem amplius, neq; infessa reddere volentem, Romani Pontificis censuris irretiuit; certoq; e manibus violentissimis ablata extorsisset, nisi præmaturus IACOBI occasus, filum litis & vitæ abrupisset. Pari dexteritate & prudentiâ Czurilonem adortus, perfecit, vt recentam á se aliquandiu Castri Golesz possessionem, Monachis iure

iure vetustissimo debitam, restitueret. Ardenti febre extinctus est Idibus Augusti, anno nascentis Christi 1383. Præfuit annos tres.

Larga quod à primis pietas effuderat annis,
In CHRISTI *seruos, impia dextra rapit.*
Contra quam, forti dum prodit corde IACOBVS,
Sternitur hêu multis ictibus inuidiæ.
Non tamen ille animo vicinis cedit auaris,
Mortis eum rapuit donec auara manus.



IOANNES VI. ABBAS XXXVIII.



Vm ea demùm præclara sit virtus, animiq; magnitudo memorabilis, quæ nullâ periculorum grauitate, nullâ asperitate temporum, ab honestis actionibus reuocatur: profecto IOANNES, præter cæterarum ornamenta virtutum, illustrem quoq; Religiosæ fortitudinis gloriam reportauit. Dum enim vnanimi Patrum consensu Cœnobium TINECENSE moderandum suscepisset, rem TINECENSEM eo loco offenderat, vt annui prouentus in victum cultumq; ægrè admodum sufficerent. Quamobrem totus in eam cogitationem curamq; incubuit, vt Monasterij possessiones & oppida, quæ finitimi potentiores, bellicis superiorum temporum tumultibus ac rapinis, per vim occupata, sui iuris effecerant, pro viribus recuperaret. Quod dum facit vrgetq; vehementer, & multorum odia atq; inimicitias contraxit; qui nimirum, ne malè partâ bonorum possessione pellerentur, omnibus incommodis IOANNEM insectari & exagitare non desinebant: quorum tamen ille improbitate ac contumelijs minimè deterritus, rem contra rapto-

res strenue promouebat. Cum ecce? de obitu LVDOVICI REGIS nuntium insperatò allatum, extemplò aduersariorum extulit animos & processum ABBATIS interemit. Successit interregnum, intra quod, summis quibusq; facinoribus ingens spatium quadrienne concessum fuit, cumq; similiter perniciosum legum, (quibus salus patriæ constat) silentium institutum esset, impotens quà exterorum quà domesticorum dominatus, ingentibus malis Poloniam exagitauit. Reipublicæ Polonæ Corpus, suâ vacuum Animâ, dum malè tractatur, IOANNES Antistes TINECENSIS, Animam egit, Anno CHRISTI regnantis, 1388. Præfuit annis quinq;, absq; duobus mensibus.

Pannoniæ, Lechiæq; simul LVDOVICVS *vt vnâ*
Morte Thronum liquit, concidit alma quies.
Hac interregni funestâ sorte IOANNES,
Turbarum patriæ munera plena capit.
Publica cumq; mali facies grassatur vbiq;,
Raptorum manibus, plurima damna subit.

STEPHANVS II. ABBAS XXXIX.

STEPHANVS generis prærogatiuâ clarus, & animi egregijs dotibus à naturâ ornatus, Spartam TINECENSEM votis Patrum oblatam, insigniter exornauit; resq; Cœnobij ac fortunas, non medioeri bonorum iacturâ attritas & exhaustas, refecit & conseruauit. De eius obitu his verbis Diarium Monasterij loquitur. *Anno Domini 1392, Die 5. Aprilis, Obitus Reuerendissimi Domini* STEPHANI *huius loci* ABBATIS, *& Episcopi.* sed cuiulnam Cathedræ & Diæcesis

cesis fuerit Episcopus, omnino silet, neq; conijcere est facile, cum & honoris huius titulus, & multa alia, quæ de eodem, sine dubio referenda superessent, tum STEPHANO ipsi, tum TINECIÆ perhonorifica, in tabulas redacta non sunt, vel fortè cum tempore interciderunt. Per id temporis, quo STEPHANVS præfuit TINECIÆ, VILHELMVS Austriacus, & Semouitus Dux Masouiæ, pro Coronâ Regni & HEDVIGIS Infantis connubio, studijs decertabant; sed votis Regni Procerum, IAGIELLONI sors vtraq; delata. Præsedit annos quatuor.

Virtutum STEPHANI *laudes ignaua vetustas,*
Neglexit fastis, inseruiße suis.
Quem tamen agnouit virtutibus vndiq; magnis,
ABBATIS *curæ, Pontificisq; parem.*
Præsulei gesßiße decus memoratur honoris;
Insignem, decuit quod meruiße, virum.



BOGVSLAVS I. ABBAS XXXX.

BOGVSLAVS, Natalium & virtutis splendore illustris, cum in Prioratu claustrali, solida probitatis argumenta dedisset, ABBATIS dignitate est auctus quam cum admisisset, vario euentu, sexennium exercuit. TINECENSES, BOGVSLAO rem administrante, aliquantâ vsi sunt pace, ABBATE commoda sodalitij prudenter & oculatè promouente. Mortuus est anno 1398.

Clara BOGVSLAI *consurgit gloria stirpis,*
Ex meritis sequitur non minor illa bonis.
Optimus ille suis Antistes curat haberi,

Euincitq; , aliæ quod rapuêre manus.
Præsuleus labor hic, alienos rapta per ausus,
Mille animi curis quærere, mille malis.



MSCISLAVS, ABBAS XXXXI.

MSCISLAVS, nobilis Ielitonum familiæ progenies, dum ingenio, probitate, ac rerum vsu, inter cæteros excelleret, vnanimi Monachorum consensu, vacanti ABBATIÆ TINECENSIVM præficitur. Ad quem honorem, fecerant ei gradum, probatissimi mores, insignisq; sapientia: quibus pro eo suffragantibus, prensauit animos singulorum, & omnes conciliauit, vt ei etiam reluctanti, supremi Magistratûs gubernacula, communi consensu, omnes commendarent. Idq; peractum est eâ felicitate, vt TINECENSES, frequenti recordatione, præstantissimi Viri MSCISLAI, memoriam vsq; hodie percolant, eius merita recenseant, & præcipuo honore, quoties gesta aliorum conspiciuntur, ipsius Nomen præcipuâ religione cultuq; prosequantur. Hanc autem iure meritissimo vindicat ab eisdem venerationem, tam latè enim eius sapientissimi regiminis & Virtutum fama, hominum mentes & aures occupauerat, vt tunc reflorescere visa fuerit TINECIA, tanti viri gubernaculis demandata: eaq; animos plurimorum religio ac reuerentia incesserat, vt restitutis, quas rapuerant aliqui, possessionibus, etiam de suâ liberalitate, ob gratiam Præsulis, aliqua supertradiderint. Quin etiam, MSCISLAVS sodalitium TINECENSE, numero personarum auxit, Vitæ Monasticæ studia ad veterem instituti normam reuocauit, susceptum munus Pastoris, annis duodecim secundissimo rerum cursu administrauit.

Tantum interfuit, ad priorem TINECENSIS Archicænobij gloriam & decus instaurandum, ei Rectori, Domûs curam demandasse, qui à publicâ re tuendâ, curandisq; Monachorum vtilitatibus, ne proposito quidem vitæ periculo auocabatur, neq; aliorum minas & iniurias pertimescebat. Doctrinæ quoq; eius & prudentiæ fama, tantum illo tempore per vniuersam Poloniam inualuerat, vt cum Pisis in Italiâ, Concilium indictum esset, ad extricandam quæstionem, qui nam ex tribus ad Pontificatum Romanum sublectis, potior habendus esset, cum PETRO VISSIO Cracouiensi Præsule, antiquæ probitatis & excellentis doctrinæ viro, MSCISLAVS, voce omnium eò ire compelleretur, fuitq; obsecutus postulantium desiderijs, tametsi non ex voto, res Concilij dissipatæ fuissent. Verum MSCISLAVS, TINECENSIS sodalitij beneuolentiam perennantem in præsens, non solùm integerrimæ vitæ sanctissimis exemplis, & frugiferâ Cænobij moderatione, sed plurimis etiam obsequijs seu verius collatis beneficijs, cumulatissimè promeruit. Finem vitæ accepit, VII. Idus Nou. Anno Regis Regum inter homines nati. 1410. Præfuit annis Duodecim.

Gemma TINECENSIS *cætus*, MSCISLAE, *iubarq;,*
In te perfecit gloria, quidquid habet.
Et genus, & pietas, animi sapientia, virtus,
Laudibus accedunt omnia summa tuis.
Te Synodus Pisis, spectauit & Itala tellus,
Te manet æternùm non moriturus honos.



DERSLAVS, ABBAS XXXXII.



INECENSIS MONASTERII Patres, ob recentem MSCISLAI deceſſum, graui mærore conſternatos, DERSLAVS excellenti vir probitate ac iudicio, ſuſceptâ Cœnobij gubernatione, maiorem in modum confirmauit. Huncperhibent,cum vitæ purioris inſtitutum à primâ ætate, in TINECENSI Domo arripuiſſet, nobiliſſimorum Topororum familiæ, vnde genus trahebat, inſigni rectè factorum gloria, plurimùm ſplendoris addidiſſe. Adeò rerum humanarum contemptus, cæleſtium amor, & meditatio Diuinæ lectionis, & totius regularis diſciplinæ obſeruantia, in eo etiamnum infante eminebant, vt Cœnobitarum Præſes STEPHANVS, egregiam pueri indolem admiratus, confirmauerit, DERSLAVM aliquando ad Monaſterij Præfecturam promouendum; neq; prudentis viri prædictio, non cæleſtis oraculi euentum ſortita eſt: ſi quidem maioribus in dies incrementis efflorcſcentem, MSCISLAVS, Vicarium ſuum, & Priorem clauſtri conſtituit, quo in munere accuratè obeundo, ita verſatus eſt, vt ſacros Religionis ritus ac decreta, maiore quàm antea ſtudio, & ipſe cuſtodierit, & eandem diſciplinæ obſeruantiam à reliquo etiam monachorum cætu, requiſiuerit. Demùm ſecuto MSCISLAI obitu, nolens ac reluctans, ad Cœnobij regimen, vniuerſorum ſuffragijs Fratrum ſublegitur. Quoniam verò, cum inſitâ animi virtute, cum proximo MSCISLAI exemplo, ad res præclarè gerendas incitabatur, Monaſterium TINECENSE per annos Duodecim, ſingulari vigilantia & ſapientiâ procurauit; antiquas poſſeſſiones vindicare non deſtitit, Domum, ſupellectile, & ædificijs ornauit, neceſſaria ad victum cultumque Cœnobitis, ex Regulæ præſcripto, abunde ſuppeditauit. Antiquæ æſtimationis Nomen, quod apud vicinos, de TINECENSI familiâ increbuerat, auctum potius, quam vllâ ex parte imminutum, religioſiſſimæ vitæ documentis procurans, & nuſquam à domeſticâ

con-

consuetudine recedens, alumnos suos ad omnem temperantiam ac probitatem, veluti admotis calcaribus, perurgebat. Denique ABBATIS partes, DERSLAVS tàm laudabiliter exercuit, quàm inuito animo admiserat: vt enim optimus quisq; , ab honorum titulis ac dignitatibus longissimè abhorret; sic ferè animaduersum est, maximas vtilitates & commoda in Religiosas familias, ab illis Rectoribus profecta esse, qui non nisi Præsidum nutu atq; Imperio adacti, Præfecturas & Magistratus procurauerunt. Obijt DERSLAVS, Doctrinâ & pietate conspicuus, XVIII. Kal. sept. anno 1421. Præsedit annos vndecim.

DERSLAO natale decus dedit alta bipennis,
Toporeo clarum sanguine stemma vetus.
Par generi virtus, titulo sublimior omni,
Quod refugit, magni culmen honoris, habet.
Muneribus varijs, claustri decus, ornat & auget,
Præsulei summum muneris ipse decus.



HENRICVS III. ABBAS XXXXIII.



SPectatæ probitatis vir, & honorum adæquè dignus ac fugitans HENRICVS, Monachorum hortatu ac precibus, dimissâ KOSCELNENSIS Monasterij Præpositurâ, TINECENSIS Collegij gubernationem admisit. Sub eius administrationem, Lituaniæ Princeps inclytus ALEXANDER VITOLDVS, postquam Cracouiæ vnâ cum Rege fratre, salutaribus Baptismi ablutus esset aquis, TINECIAM, ac familiam eius visendi studio incensus, cum honestissimâ clarissimorum virorum coronâ & Lituanæ Nobilitatis flore deuenit; vbi sin-

gulis curiosè lustratis, Tinecensisq; domus, moribus, integritate & disciplinâ perspectis, egit statim, vt sibi in Lituaniam reuertenti, eorum conuersationis aliquot viri destinarentur egregij, qui in eius patriâ ARCE TROKI Cænobium & prouisionem haberent, aliisq; viris Apostolicis, in conuersione gentis Lituanæ, in Gentilitate adhuc detentæ collaborarent: ad votum Principis, TINECENSES obsecundauêre: à quibus dum remigraret Princeps, auditus est gloriari, ex eorum commoratione, sibi interiorem accessisse cultum, & pectus igne superiori ardere inflammatum. Henricus per eos annos, quos in procuratione TINECENSI peregit, diuinarum rerum obseruantissimam tractationem promouit inter Fratres, eosq; ad omnem pietatem sedulò exercuit, studia literarum, & à Regulâ præscripta discendi tempora, diligenter instituit, seruandaq; præcepit, quò Religiosi, & eximiâ pietate celebres sanctissimiq;, & ingenuis artibus instructi ac doctissimi simul, ab omnibus deprædicarentur. Obijt anno 1430. Præfuit TINECIÆ, annis octo, & mensibus aliquot.

Eximiæ probitatis honos cum fulget in alto,
Admiranda suæ pondera lucis habet.
Sic tua VITOLDVM *traxit clarissima virtus,*
Visitat illustrem cum pietate locum.
Vt BENEDICTINI *Sanctissima lumina cætus,*
Lituanicis etiam partibus ipse locet.



STA-

STANISLAVS ROSKOSZKA, ABBAS XXXXIV.



Vic, cùm nasci in seculo inter illustres affines contigisset, inter religiosi secessûs tenebras, multò euasit illustrior. Dum enim, à susceptâ religione, annos plures, inter TINECENSES, tranquillo animo traduceret, HENRICO fatis sublato, omnium approbatione, in demortui surrogatur locum. Prælatus sodalitio, eius numerum auxit, restituit meliorem in modum claustri disciplinam, propagauit per loca TINECIÆ incorporata Monachos, impetrauit ab IAGELLONE REGE, TINECIAM religionis gratiâ inuisente, Priuilegia, ornatum templi cultiorem reddidit, &c. & exacto in Præfecturâ septennio, vitæ cursum expleuit, Idibus Octob: Anno 1438.

Splendida quæ mundo cum stemmate nomina linquis,
Dignior ex meritis ecce coronat honos
Quem licet inuitus recipis, feliciter auges.
REX IAGELLO *bonis cum fauet ipse tuis.*
O verè dilecta tuis ROSKOSZKA *voluptas.*
Optimus in vitâ, nomine dulcis eras.



BOGVSLAVS II. ABBAS XXXXV.



OGVSLAVS gubernaculo TINECENSI admotus, sicut non est dubium, quod laudabiliter & integerrimè se in eo mu-

nere gesserit, ita dubitari non potest, quin multa nominatim perpetrauerit, ad promouendā suorum virtutem, ad excitandos posterorū animos: quæ omnia, idcirco silentij tenebris inuoluta delitescunt, quòd, nostrorum Tinecensiū solemnis ac perpetua consuetudo fuerit, vt Diuinis Chori actionibus perpetuò occupati, ad sodalium res gestas, (nisi summæ necessitatis vtilitatisue ratio exposceret) minimum temporis atq; industriæ conferrent. Præfuit annum vnum, & menses sex.

Curarum series modico tibi transijt æstu,
Annua cum tantum muneris acta feras.
Illa quidem priscis non obseruata, tacentur,
Laude tamen debent non caruisse suâ.
Te facit insignem, meritis clarissima, tanto
Quæ dederat virtus, eminuisse loco.



BOGDALVS, ABBAS XXXXVI.



PEruulgatum prouerbium, *Conueniunt rebus nomina sæpè suis:* sicubi veritatem obtinuit, in Nostro *BOGDAL* (qui ex Polono idiomate sonat *DEVS dedit*) nomen abs re ipsâ non deuiauit certè: cum ille ex sui nominis ratione, Diuino planè nutu Ordini, Cœnobioq; datus, delatam ad se TINECENSIS MONASTERII summam rerum, magno subditorum commodo, magnâ sui nominis prædicatione ac fama, sapientissimè administrârit. Eum verò TINECENSI sodalitio nihil impensius ad amplissimam Præfecturam commendauit, quam ipsius animi moderatio, ab omni Præfecturâ Magistratuq; admittendo remotissima. Diu multumq; rogandus fuit

fuit BOGDALVS, antequam in animum induxisset, vt oblatam gubernationem admitteret, & ABBATIS onera, quæ illo tempore exasperatissimo, humeris eius maximè incumbebant, in se conijci pateretur. Tandem omnium precibus votisq; deuinctus, vt TINECENSIVM rebus in magno discrimine, præ temporis confusione positis, auxiliares manus admoueret; cæpit statim ab interiori reparatione animorum, & morum, commissæ familiæ necessitatibus deseruire: perplura enim, deuotioni religiosæ & existimationi aduersa, in vsum communem apud suos irrepsisse perspexerat, quæ vt ad pristinæ seueritatis custodiam reuocarentur, operam dedit. Tum, vt externa bona, spiritualium adminicula, prudenti gubernatione in futurum integra conseruaret, in quibusdam prædia de nouo construxit, alia muris circumsepsit, alibi horrea adiecit, æconomos fidei melioris substituit, ædificijs, dispositione, ciuibus, possessiones Cœnobij insigniter auxit. Plura autem monasterij loca, alia alio tempore à diuersis occupata, in propriam potestatem asserere adlaborauit, Procopium de Niepreszna, & alios Cœnobialium iurium vastatores, iure repressit; à VENCESLAO Osuecimensi Duce, non modicâ pecuniæ summâ Censuum ad Ducem spectantium annuas pensiones redemit; cæteraq; alia, TINECIÆ saluberrima effecit & procurauit: idq; pro ea, quâ erat naturali diuinaque sapientiâ perdoctus, & morum ac prudentiæ laude insignis. vt non immeritò ab omnibus tanto studio expetitus, ad TINECENSEM prouinciam procurandam fuerit; quam vbi admisit, maximâ integritate, pariq; dexteritate, in rem communem administrauit. Decessit VII. Idus Decemb. Anno 1450. Præfuit annis XI. Vacauit sedes Annum integrum.

Ad regimen sacrum, meritò BOGDALE *vocaris,*
Nominis omen ad hoc, auspiciumq; ferens.
Præsto tibi sapiens animus, vigilantia, zelus,
Iudicij summus, consilijq; vigor.
Vndiq; cum niteas summâ virtute; profectò
Nomine req; simul te DEVS *ipse* DEDIT.

MAT.

MATTHIAS SKAWINKA, ABBAS XXXXVII.



ATTHIÆ SCAVINCÆ exemplo edocemur, perniciosissimè plebeios homines ab Ecclesiasticis Dignitatibus indiscriminatim submoueri, cum sæpè ab his maiores vtilitates & commoda quàm à Patricijs importentur. MATTHIAS, SKAVINÆ, in oppido Tinecensi natus, à prima ætate, optimarum artium studijs in Academiâ Cracouiensi, solertem operam per annos plures nauauit: cum spiritu Religionis TINECIAM delatus, ad Monasticæ vitæ normam adeò perfectè mores suos conformauit, vt maturâ postmodum ætate, diuersis officijs in Cœnobio applicatus, dein KOSCELNENSI præpositurâ ornatus, tandem TINECENSI ABBATIâ sit insignitus. Molestissimos, in assecutione huius Præfecturæ, contradictores est expertus, quos inter altiores fortioresq; erant, Sieciechouiensis, Orlouiensis & Trocensis ABBATES, qui eum honorem SKAVINCæ nullo modo dandum acrius decertabant, sed constans sibi animus & virtus MATTHIæ, ad iudicium sedis Apostolicæ causam dimittens, Decreto Apostolico, habilis tanto muneri, & dignus ABBATIâ est iudicatus. Hunc Sbigneus Olesnicius illustrissimæ prudentiæ & virtutis fama notissimus Cardinalis & Cracouiensium Præsul, plurimi semper fecit, eumq; suorum adiutorem consiliorum adhibuit, & non modo charum in paucis habuit, sed operam etiam dedit, vt eius præclaræ dotes, & insignis prudentia, cum alibi tum in Aulâ Regiâ præsertim perulgarentur. Quare CASIMIRVS Iagiellonides, crebris certisq; nuntijs, perhonorificâ commendatione de MATTHIÆ pietate ac sapientiâ certior factus, illum Aulæ suæ consilijs admouit, & Secretarij intimioris honore decorauit. MATTHIAS itaq; susceptâ Cœnobij administratione, studium & curas omnes eò intendit, vt sanctissimarum legum

Regum cultus, ad primæuam institutionis normam, studiosissimè reuocaretur. Verùm cum prudenter intelligeret, idipsum nullâ ratione se consequi posse, nisi prius ex Regulæ præscripto, quæcunq; opus essent, religiosâ liberalitate concredito sibi cætui peramanter impertiret: recuperandis Cænobij fortunis animum atq; operam adiecit: Quo in genere, CASIMIRI REGIS Cracouiæ demorantis, non parùm adiutus est beneuolentiâ, amplissimoq; diplomate. Eius itaq; studio, pagi quibus TINECENSES exuti fuerant, in potestatem ex parte asserti, præscriptiq; singulis termini ac limites, ad euitandas in posterum, cum adiacentibus vicinis discordias. Breue à NICOLAO V. Pontifice obtentum, quo omnes alienationes bonorum Monasterij Tinecensis, per antecedentes ABBATES in graue damnum Monasterij factæ, irritantur & reuocantur, & vt ad pristinam possessionem, authoritate Apostolicâ reducantur, vices suas Pontifex, Cathedralis Cracouiensis Ecclesiæ Cantori delegauit. Idem MATTHIAS, Ecclesiam Tinecensem elegantiori formâ à se innouatam, per Episcopum Moldauiensem & Suffraganeum Cracouiensem consecrari effecit: in alijs quoq; Ecclesijs particularibus, ad TINECENSIS ABBATIS ius pertinentibus, ædificia amplitudine & elegantiâ accreuere, ac mores & disciplina, sunt correcti. Et quamuis Sancti NICOLAI Ecclesiam extra muros Cracouienses sitam, ex antiquo tempore ad Ius & dispositionem TINECENSIS MONASTERII spectantem, Academiæ CRACOVIENSI, cum omni fructu & attinentijs contulerit, ne tamen aliquid imminuisse Tineciæ diceretur, ex Parochiali TVCHOVIENSI, Præposituram Regularem fieri procurauit, eamq; Cænobio vniuit, CALIXTI Tertij Pontificis accedente consensu, & Olesnicij, Strempinijq; Episcoporum Cracouiensium amplâ facultate. Jamq; MATTHIÆ omnia ex voto, conceptisq;, initio sui Magistratûs, consilijs euenerant; cum infelici casu, præter spem, extitit consternatus; Zatorienses Duces, licentiâ viuendi, & peruersorum aulicorum consilijs, deprauati, cum diuina humanaq; Iura, perinde haberent grauibusq; Ecclesias, & earum ministros vexarent iniurijs, vocati crebrius ad Iudicium Diæcesani, per contumaciam & despectum res trahi dissimulabant; cumq; Censuris Ecclesiæ percellerentur, gladijs proprijs se suaq; Iura defensuros iactabant, fulmina

M Ecclesiæ

Ecclesiæ interea minus habendo. accesserant, & Papales literæ Aggrauantes, contra insordescentes datæ, quæ vt ad manus contumacium reipsâ deuenirent, egit Episcopus Cracouiensis STREMPINIVS cum ABBATE MATTHIâ, quatenus id negotij alicui Conuentûs sui demandaret Fratri, vt Anathemata Ducibus exhiberentur; ex obedientiâ, eo directus Frater MARTINVS, religiosâ submissione animi, & morum candore amabilis, dum iussa Pontificis exequitur, à satellitio temerariorum Ducum, id mandantium, concusus enormiter, breui post expirauit. Quod simul atq; ABBATI nuntiatum est, acerrimi doloris profundo vulnere sauciatus, satis admirari non poterat, Duces eò sceleris ac dementiæ progressos esse, vt omnia Iura contemnerent, nec DEVM reuererentur. neq; tamen in hoc angore constitutus, se ipse ABBAS deseruit, sed ad Comitiũ citatione datâ reis, Generali statuum sententiâ, ad certas satisfactiones Duces sunt condemnati: cumq; eo pacto, se multũ fecisse satis, animo præsumerent, nec aliquo modo proponerẽt, meliora facturos se in futurum, internecionis hominis religiosissimi & innocentissimi, & tanti contemptûs contumeliæq; in Ordinem, meritas pænas dependerunt Duces, dum simul vitâ & Ducatu, (DEO sic volente) nullo relicto hærede, breui sunt spoliati. Tam seuerè vlciscitur DEVS in Ordinem nostrum contumeliosos, benignè annuens BENEDICTO, suorum causam aut defensionem commendanti. MATTHIAS ABBAS, his & alijs multis, pro domo DEI & Religione peractis, senio iam premente, excessit è vitâ, XIII. Kal: Martias, Anno 1477. Vir, tam naturæ dotibus, & præclaris animi ornamentis prænobilis, quam literarum excellenti ac multiplici cognitione, illustris. Præfuit TINECIÆ, annos viginti sex.

Sors tibi nascendi minor est, sed maxima virtus,
Doctrinæ, summum, iudicijq; decus.
Infractus curis, animo vigil, Ordinis acer
Defensor, vindex: mens, columenq; gregis.
Natus in exemplum laudis, decus omne tulisti,
Præsulis ô speculum magne SKAVINKA *boni.*

ANDRE-

ANDREAS OZGA, ABBAS XXXXIIX.

ANDREAM, rarissimis fortunæ muneribus clarissimum, pulcherrima ingenij ac morum ornamenta, multò conspectiorem reddidere. Jllustri is familiâ Jelitonum ortus, vt erat ingenio bonarum artium apprimè capaci, & ad studia pietatis propensissimo, sic DEI vocantis, Naturæq; fauentis inuitamenta ductumq; strenuè prosecutus, ad TINECENSE Monasterium demigrat; vbi ad exactam religiosæ probitatis legem, se totum composuit, eo exitu, vt post fata MATTHIÆ ABBATIS, communibus Monachorum suffragijs, Cœnobij Magistratum adeptus sit. Rem Cœnobij, quam ferè perinuitus susceperat, prudentissimè temperauit. Si quidem adiecto animo ad veteris disciplinæ instaurationem, multa piè sapienterq; constituit, coercendæ aliquorum è cætu regulari licentiæ, & dissolutioni corrigendæ, accommodata. Eius tempore, cum deprauati mores & licentiosa facta passim grassarentur per Poloniam, castrenses & militares pleriq;, paternis destituti subsidijs, alieno viuere proposuerant; vtq; vim haberent maiorem, conscripto exercitu, *Fratres cruce signati*, à crucibus quas assuebant, titulo splendidissimo dici affectabant: editisq; in Poloniâ aliquot violentiæ & temeritatis suæ stratagematibus, subitò in Vngariam irruperant, & populando terram, castra aliquot occupauerant. Hac iniuriâ MATTHIAS REX Vngariæ lacessitus, vicissim TARCITOMAM strenuum bellatorem & Ducem, cum sex millibus peditum armatorum, immisit intra Poloniam, qui Submontanæ regionis ciuitates, pagos & castra expilando, Crosnam pro sede delegerant. CASIMIRVS Poloniæ Rex, Comitijs Visliciæ peractis, in Vngaros Nobilitati Polonæ expeditionem addixit, cuius Mandatum pleriq; leuius æstimando, cum tardius conueniunt in castra, hieme instante, bellum infectum reddiderunt: & interim Proceribus Regni vtriusq;, mutuò agentibus, pacem inter vicinas

gentes his articulis condiderunt, vt captiui vtrimq; liberè dimitterentur, munitiones redderentur, datorum verò damnorum ratio neutrobi institueretur. *hac pace infirmâ positâ,* (inquit Mat: Miechouita,) *Polona Nobilitas dilapsa est, de Sacerdotum & Monachorum gallinis, anseribus, & gregibus triumphans, & expugnatis euersisq; magnâ virtute eorum cellis, ac horreis, præclaras manubias ferens.* hæc Miechou: chronologus eius ætatis. Interim ANDREAS moderator TINECENSIS MONASTERII, calamitati illius temporis, quà potuit dexteritate, subuenire non destitit; quædam bona Cœnobij direpta & exusta reparauit, alia excollenda nouis possessoribus tradidit, templa aliquot per Dominium Cænobiale, & prædia construxit: &c. dumq; in vlteriore apparatu subueniendi rebus versatur, eum præmatura mors, singulari omnium dolore ac luctu, & summo rei TINECENSIS incommodo, extinxit. ABBATEM egit, annos quinq; absq; mense vno; quo toto tempore tam multis curis ac negotijs distentus est, vt penè respirandi spacium non habuerit, quin plenè expirârit, Pridie Nonas Martias, anno 1482. Præfuit annos quinq;.

Moribus eximius, meritis dignissimus OZGA,
Ordinat in melius quæ cecidisse videt.
Sæuit tum patrijs effusa licentia castris,
Graßaturq; sacris hêu inimica bonis.
Impia sacrilegi dolet hêu portenta furoris,
Et reparat quidquid vis inimica tulit.



ANDREAS NOSEK, ABBAS XXXXIX.



NDREAS NOSKOVIVS, tam multis abundat, ijsdemq; præclarissimis animi ac fortunæ dotibus, facile vt exco-

ex eorum numero vnum agnoſcas, in quibus exornandis, æmula quædam cæleſtis gratiæ benignitas, cum inſigni naturæ munificentiâ, decertat. Tantum Diuini luminis à puero combibit, vt ſæculi periculis & inſtabili rerum viciſſitudine ad rationem reuocatis, Euangelicæ perfectionis ſtudio ſe dedere, prudenter in animum induxerit. Inde Parentũ diuitijs, ac genere, quod ei in ampliſſimâ Rauiciorũ familiâ obtigerat, generosè contemptis, conſilio quã ætate maturior, TINECIÆ religioſum inſtitutum expetiit: vbi Monachorũ conuictu dignatus, quantũ præ ſe alacritatis ac ſtudij in efflagitandâ Religione tulerat, tantundẽ adhibuit in cuſtodiendâ diſciplinâ diligentiæ: pietatis, ac bonârum artium exercitationem, pertinaci ſtudio complexus, breui tantus euaſit, vt multis alijs ſtrenuis commilitonibus præcelleret. Hæc autem ingenij ac morum decora, cum Prudentiæ ac conſilij eximia laus comitaretur, OZGÆ ABBATI demortuo, communi Patrum conſenſione ſublectus eſt. Porrò autem NOSCOVII adminiſtratio in magnas temporum anguſtias incidit, cum C u ſſi na peſtilentia ab Vngaris delata, Minorem Poloniam ingenti ſtrage peruagaretur; ſterilitas quoq; annonæ, & fames, funeſtam cladem adferret; latrocinijs inſuper & publicis violentijs, per SZAFRANECIVM & alios farinæ eiuſdem prædones, Regnum diuexaretur. Quæ cum ita ſe haberent, NOSCOVIVS in eam curam incubuit, vt TINECENSEM familiam integram conſeruaret, & ſubditorum Monaſterij inopiam, quâ poſſet indulgentiâ & liberalitate releuaret. Induxerat verò in animum NOSCOVIVS, Romam proficiſci, ad priuilegia TINECIÆ à ſede procuranda, & ad lites quaſdam, cum bonorum Cœnobij occupatoribus, extinguendas; ſed aduersâ valetudine eo ire omninò prohibitus, dum breues vitæ inducias adeſſe intelligit, eo mentem conuertit, vt rem ſacram templi cumulatiorem redderet: curauit itaq; Monſtratorium ſat vaſtum & multi ponderis ex argento fieri, calices quoq; plures, & alia ſacrarij ornamenta ex auro & argento confici, quibus in præſens gaudet ætas noſtra, hominiſq; beneficentiæ obliuiſci non poteſt. Multa præterea è re Cænobij facienda propoſuerat, ſed in hac molitione rerum, fato præuentus, ad perennem ſoſpitatem & felicitatem vltimam Beatorum, cum opinione vitæ ſanctiſſimè traductæ, vir optim⁹ demigrauit, Idib⁹ Septem: an: 1488. Præfuit an: ſex.

Naturæ dotes, fortunæ stemmata, opesq;,
Virtutes animi, nobile quidquid habent:
NOSCOVIO *totum pulcherrima gloria cessit,*
Difficili quamuis tempore Præsul erat.
Aurea dona tulit templis, vir aureus ipse,
Cœlitus acceptas ad sacra vertit opes.



IOANNES SVŁOWSKI, ABBAS L.



EXimia religiosæ humilitatis species, cum in obscuris alioquin hominibus vehementer elucet, tùm verò contemptas inter opes nataliumq; claritatem, multò luculentius splendorem suum explicat, rapitq; in sui admirationem intuentes. Hoc ipsum SVLOVIVS noster suo exemplo declarauit; qui insigni Christianæ demissionis studio, à primis annis captus, hæreditatem peramplam, blanditiasq; parentum, & mundi lenocinia deserens, claustri frugalitatem & continentiam, TINECIÆ est amplexatus. Vbi cum alijs religiosæ vitæ candidatis, egregio solidæ pietatis tyrocinio completo, nihil æquè in votis habebat, quàm latere & nesciri: eius tamen insignis vitæ probitas, & in rebus gerendis circumspectio ac solertia quædam admirabilis, breui perspectæ ac cognitæ, inuitum licet ac repugnantem, procurandis Ordinis & Monasterij negotijs implicuerunt. Illum Tinecensis cœtus, ad TVCHOVIENSIS primò Ecclesiæ gubernationem submisit; vbi opportunum exercendæ virtuti campum opperiens, verbo & exemplo gregi prælucebat; cum ecce NOSCOVII ABBATIS morte subsecuta, iustisq; ex more persolutis, dum Conuentus de eligendo ABBATE deliberat, summâ

mâ omnium voluntate ac plausu, SVLOVIVS successor proclamatur. Accepto Magistratu SVLOVIVS, illud antiquissimum habuit, vt Monachos à caducarum rerum cura, & solicitudine expeditos, ad animorum culturam, cælestiumq; bonorum commentationem, serio traduceret. Tum verò, temporalium curam aggressus, prædia & villas, qua incuriâ aliorum desolatas, qua militaribus statiuis exhaustas, magna exparte reparauit, atq; alia olim bona per vicinos possessa & vsurpata repetijt; Bochnenses ciues, Kosanovv contiguum pagum sibi vendicantes, Iure repressit; à Teczynio Palatino Belsensi, agros nonnullos prædijs Monasterij adiacentes, coëmit, finesq; & metas suorum latifundiorum distingui procurauit. Hæc inter, dum SVLOVIVS Cænobij rebus amplificandis dat operam, graui morbo tentatus, longiori tempore decubuit: tandemq; acrius sæuientis morbi magnitudini succumbens, ab hac mortali vitâ ad immortalem discessit, VII. Idus Martij, Anno 1497. Præfuit annis octo.

Inclyta SVLOVII virtus, pectusq; modestum,
Summa reluctanti culmina mente capit.
Par rebus summis; minimum sibi posse videtur,
Mox tamen insigni dexteritate præest.
Inuigilat cunctis, bona vindicat, ardua vincit,
Vita humilis, felix munere, morte pius.

IOANNES PIOTROWSKI, ABBAS LI.



IOANNES PIOTROVVSKI, ex Præposito Tuchouiensi, SVLOVII ABBATIS Prouinciam eodem anno excepit. in cuius procuratione insignem retulisset laudem, si carni & sangui-

sanguini non tantum indulsisset. Hic enim iam tum, cum Prioris munere fungeretur apud TINECIAM, Noscovio pessimâ valetudine multùm affecto & lecto incumbenti, ipse Cœnobij gubernationem habuit,& pro iurium cōseruatione strenuè laborauit. Cumq; exercitus Polonicus à Moldauicâ expeditione redijsset, & emerita stipendia non soluerentur eis, in oram Cracouiensem agminatim incurrerant, bonaq; Monasteriorum & Ecclesiasticorum per vim occupabant: tùm PIOTROVVSKI, prædia Monasterij, data eisdem certâ summâ pecuniæ, diripi & lacerari passus non est. Quamobrem TINECENSES perspectâ eiusdem singulari dexteritate, illum Tuchouiensis Ecclesiæ præfecturâ cohonestârant: quam ille egregiâ fide & suâ cum gloriâ sexennio circiter gubernauit. Tandem decedenti Sulouio in ABBATIA TINECENSI surrogatus est; ad cuius fastigium euectus, strenuum se statim administratorem proferens, aliquot possessiones Submontanas, per vim ac dolum à nescio quibus magnatibus infessas, vindicauit; ab ALEXANDRO Rege Poloniæ confirmationem pensionis, super certas mensuras salis è fodinis Velicensibus, TINECIÆ annuatim dandas, obtinuit, & vt nouo Regio priuilegio idem esset cautum, studiosissimè ipse confecit; atq; vt paucis agam, Præsulis industrij nomen & gloriam, ab omnibus per annos complures, abundè retulit. Verùm procedente tempore, nonnihil se indulgentiorem in propinquos, affinesq;, magis munificum exhibuit, quam religiosum decebat Antistitem; si quidem commutationes nonnullas in bonis Cœnobij admisit, per quas deteriores sortes obuenerunt TINECIÆ: præter ea in gratiam FRIDERICI Principis, cuidam PETRO GNIADY Directori Aulæ eiusdem FRIDERICI, plures villas ad tempora vitæ concessit, nullo commodo suo vel Cænobij, sed solo Potentibus placendi studio: quo in facto longius ab æquitate, atq; ab officio suo recessit. Nisi fortè excusandus veniat, à temporis illius perplexitatibus, à quibus intricatum Regnum, res quoq; priuatorum, munimine Potentum indigebant. Præsedit in regimine ABBATIÆ, annos quindecim, obijt, anno 1512. Tertio Kalendas Augusti.

Os

O si munificus pariter larguſq; fuiſſes,
Pauperibus, Monachis, quam bona cuncta forent.
Sed quia cognatis confers male munera clauſtri
Non modicè hæc laudes inficit vmbra tuas.
Quo non infelix penetras, atq; improbe, ſanguis,
Et vix à ſacris reſpiciende viris.



STANISLAVS BARANOWSKI, ABBAS LII.



TANISLAVS BARANOVVSKI, familiâ Grzymalorum illuſtri, cum adoleſcens in Monaſterio TINECENSI diuino ſeruitio ſe deuouiſſet, vnà cum ſublimioris Philoſophiæ exercitatione, optimarum quoq; artium cognitionem eſt aſſecutus. Jnde, cum annorum progreſſu, virtutum quoq; faceret incrementa, primores TINECENSIS ſodalitatis, Staniſlaum TVCHOVIENSI Præpoſituræ eiuſq; loci alumnis præfecêre. Quod ille munus accuratè adeo ac diligenter eſt executus, vt induſtrij hominis æquè, ac clariſſimi præconia, apud alios obtinuerit. Hinc STANISLAVS pietate ſimul ac doctrinâ conſpicuus, Præpoſiti officium maturè admodum, TINECENSIS verò Cænobij regimen, JOANNIS PIOTROVSCII ſucceſſor, adeptus eſt. Anteceſſorum verò eximiam erga res Cænobij diligentiam, pro virili æmulatus, apud SIGISMVNDVM REGEM certorum Priuilegiorum confirmationem obtinuit, libertatemq;, pro illis villis quæ in Zatorienſi Ducatu exiſtunt, ab oneribus publicis impetrauit: ſacrarij quoq; ſupellecti-

N lem,

lem, partim vſu ac vetuſtate detritam, partim minus quam ipſe cuperet elegantem ac pretioſam, inſtaurauit, ſacrarumq; veſtium additione ditauit: ædificia ſimiliter Cænobij, & reſidentiæ ABBATIALIS, modo nobiliore exornauit. Demum religioſæ liberalitatis, non exiguâ parte in exteros quoq; tranſmiſsâ, Patrum Dominicanorum Conuentui in oppido TINECENSI Opatouecio, per alios olim ABBATES conſtructo dotatoq; certam pecuniæ ſummam contulit, eorumq; prouiſionem auxit, cum obligatione vnius Miſſæ legendæ in hebdomadas. Nouiſſimè annis quatuordecim in regimine TINECENSI tranſactis, non ſine magnâ prudentiæ ac religionis laude, ad æuiternas iuſtorum ſedes, Diuini conſilij decreto vocatus eſt, Idibus Mai, Anno 1526.

Illecebras mundi cum ſtemmate linquis auito,
Ardua pro CHRISTI *nomine, vota petens.*
Contemptus mundi pro CHRISTI *nomine, rurſum*
ABBATIALE *tibi reddidit ecce decus.*
Immortale tibi pariunt mortalia lucrum,
Largus enim, damnis maxima lucra facit.



ANDREAS GNIADY, ABBAS LIII.



TINECENSIS Congregationis PATRES, ab obitu BARANOVII indictis Electionis Comitijs, ANDREAM GNIADY ex Armis Oſtoia, Cænobij TINECENSIS alumnum, ABBATEM ſublegêre. Hic ciuili, regulariq; ſapientiâ impensè doctus, morumq; & prudentiæ laude inſignis, varias prius inter TINECENSES functiones laudabiliter obiuerat, & tunc cum in TINECENSEM Præſulatum eſſet aſſumptus,

sumptus, ORLOVIENSEM ABBATIAM regebat. Igitur TINECENSIS domicilij suscepto regimine, vti spem ingentem omnibus fecerat, fore vt Monasterio commodissimus existeret, sic concreditam sibi prouinciam, maximâ integritate, pariq; dexteritate, in rem communem administrauit. Cum Czurylone Præmisliensi Dynasta, limites bonorum Pedemontanorum, Succamerario Teczynio arbitrante, determinari curauit: cum Tomicio Antistite Cracouiensi, de quibusdam commutatis villis transegit: à Clemente septimo Xiaznicensis Præposituræ cum TINECENSI MONASTERIO vnionem, Romæ obtinuit: dumq; plura ad decus & commodum Cænobij molitur & adornat, infirmitate oppressus, Decimo sexto Tinecensis regiminis anno, decessit è vitâ, VI. Idus Nouembris, anno à CHRISTO nato 1542.

Vir genere insignis, studijs & rebus agendis,
TINECIÆ clarus conspicuusq; suæ;
Iustus, nec lucri cupidus, non inuidus vnquam,
Osor peruersi, commodus, atq; pius.
Accipit eximios testes virtutis, Honores,
Accipit ABBATIS Pontificale pedum.

VINCENTIVS BARANOWSKI, ABBAS LIV.


INCENTIVS, STANISLAI ex fratre Nepos, religiosum Ordinem sub regimine Patrui, Tineciæ complexus, cælestis disciplinæ exercitationi humaniorum literarum studia feliciter adiunxit. Vitæ innocentiâ & morum candore, Pa-

re, Patruo simillimus; quo promotore, ORLOVIENSEM ABBATIAM, exercendæ indoli suæ primum campum, accepit. cuius gubernatione susceptâ, nihilo breuius infestationis ac molestiarum tempus, quàm regiminis & præfecturæ spatium sortitus est: Silesitarum plerisq; pertinaci defectione, à Catholicâ fide auersis, & noua quotidie ac perniciosa, in Ecclesiam Romanam, & consequenter in Monachos excogitare ac moliri pergentibus. Sed illorum hæresis & machinationes, quantum VINCENTIO tranquillitatis & otij ademerunt, tantundem opportunitatis ad augendam illustrandamq; virtutem attulere: si quidem ABBAS, constantis animi robur, insurgentibus fidei aduersarijs viriliter opponens, nunquam passus est de suo gradu & possessione deturbari se ac deijci, imò loci illius rem familiarem optimâ administratione iuuit, templiq; ornatum multò elegantiorem reddidit. Interim VINCENTIVS his operibus apud Silesitas intentus, ad noui ABBATIS surrogationem TINECIAM euocatur; vbi graui deliberatione omnium adhibitâ, concordi suffragatione & sensu, VINCENTIVS ad id honoris fastigium est destinatus. Suscepit munus vltroneè ad se delatum, vt ex Silesiticis concertationibus nonnihil respiraret. Neq; tamen ab eo intermissum est quidquam, quod rebus communibus incommodaret, sed magnâ cum laude cuncta peragens, absolutis nonnullis in rem Cænobij litibus, Cænobium magnâ perturbatione ac molestiâ liberauit. Eo moderatore, cum domesticæ vtilitati & commodis diligenter prospectum est, tùm verò literarum studia in Cracouiensi Vniuersitate, assiduâ contentione & insigni Monachorum progressu, sunt exculta. Tandem decimo sui Magistratus anno, cum Iordano Spitcone arctiori familiaritate contractâ, eiusdem delusus aulicis tractationibus, commutauit tres pagos TINECENSIVM hæreditarios, Opatkovvice, Viazd, & Zdania, ad littora Danubioli prope Melsztyn iacentes, maximæ fertilitatis sortes, pro ineptissimo & sterili villagio Brzozovva, receptis ab eodem Spitcone, mille quingentis pecuniæ florenis, in additamento ad contractum porrectis. Item villam Grodziec, cum Comite à Teczyn, pro Kostrec, inutili conatu vel potius damnoso contractu, permutauit. Ille quidem, hac in re optatissimæ voluit consultum esse paci, sed tamen, plus humanæ potentiæ detulisse, à posteris est iudicatus. Obijt, Anno 1558. pridie Idus Iunij. Præfuit annos septemdecim.

Gło-

Gloria magna, pijs numerare parentibus ortum,
Qui celebri ducunt nobilitate genus.
Gloria maior huic, propriâ clarescere laude,
Ingenij studio, militiæq;, solet.
Gloria sincero pietatis maxima cultu,
Æterno, purâ mente placere DEO.

IOANNES ŁOWCZOWSKI, ABBAS LV.



OANNES LOVVCZOVVSKI, ex antiquâ Griffonum familiâ in Districtu Pilsnensi ortus, à puero Monachus TINECENSIS, in studio literarum cum pietate coniuncto, profecit singulariter. Hinc artium cognitione, ac prudentiâ naturali, quàm ætate prouectior, in plerisq; inferioribus & communibus obsequijs, ex re Cænobij, adhiberi est cæptus. Quâ in exercitatione, diu ac laudabiliter versato, Infirmòrum TINECENSIS MONASTERII Præpositura honosq; demandatur: hanc pacatissimam ex omnibus Præfecturis, (quascunq; TINECENSES occupant) functionem, insigni charitate & diligentiâ temperabât, cùm in Conuentu, ad eligendum ABBATEM congregato, iubetur ad totius TINECENSIS imperij gubernationem se transferre. Domestici, peræquè & Nobiles vicini, ac subditi, hoc nuntio mirabiliter excitati, extraordinarijs honoribus & communis lætitiæ argumentis ipsum susceperunt. Verùm ab ipso sui regiminis exordio, egregium dedit religiosæ BENEDICTINÆ liberalitatis specimen, quando Vniuersitati Cracouiensi, Canonicatum in Ecclesia S GEORGII in arce Cracouiensi,

ensi, eiusq; præbendam Bronouice nuncupatam, cum medietate, seu sorte integrâ in villâ Rząska, ad eundem Canonicatum spectantes prouentus, olim per TINECENSES ABBATES à prima Monasterij erectione, percipi solitos, iure perpetuo inscripsit & donauit. Jn hospites itidem liberalem se semper exhibuit, iubendo, vt quotquot TINECIAM ventitarent, humaniter admissis, suppeditarentur omnia, quibus TINECENSIS domicilij hospitalis charitas abundaret. Quare licuit toto eius magistratu, intueri multos inuisentes, humaniter habitos, & omni officiorum & obsequiorum genere excultos, TINECIÂ discessisse. Hanc autem impensam liberalitatem, cælestis benignitas copiosâ mercede est prosecuta, cum & cibaria sufficerent, nec domus ære alieno prægrauaretur. Eadem liberalitate LOVVCZOVIVS, conciliauit plerosq; infensos Cœnobio & bona diuexantes, sublatis dissidijs & litibus, quæ vtrosq; ab vtrisq; disiunxerant. Quamdiu TINECIAM moderatus est, opima pax Cœnobium subiectaq; Cœnobio loca tenuit: ipse singularem erga se beneuolentiam cum pari subditorum obseruantiâ expertus est. Vnum porrò refertur, in quo minus commode processisse deprehensus est; villam TINECENSEM Okulice, cum OCIESCIO Cancellarij Magni Nepote, pro Mierzącka sorte eiusdem, permutauerat, cuius voluntati reliqui de Conuentu cum obluctati fuissent, successor KRZYZANOVIVS, actione intentata, hæreditatem Cœnobio strenuè vindicauit. Diem suum obiit, XIIII Kalendas Iunij: anno 1568. Præfuit annos decem.

Vita modesta viro, quem non captauit honorem,
Attulit, hæc virtus præmia semper habet.
Felix sorte suâ Monachus, cuî ducere vitam.
Priuatam licuit, dum sua fata sinunt.
Non sat erat nostro virtutis currere callem,
Nî sibi commissas tam bene pascat oues.



HIERO-

HIERONYMVS KRZYZANOWSKI, ABBAS LVI.



Ntequam præclara huius Antistitis gesta sub inferam, libet, vitæ eius chronotaxim ex membrana desumptam, ijsdem omninò quibus est annotata verbis, inducere. *HIERONYMVS KRZYZANOWSKI Domus & gentis Porcariæ per Poloniam satis claræ, natus est Patre MATTHIÂ KRZYZANOWSKI Sub iudice Posnaniensi, ipso festo SANCTI HIERONYMI post missarum solennia, incidente die Dominico, Anno à CHRISTO nato 1537. Suscepit iugum Domini, secundum consilium Prophetæ, habitumq; Regularem TINECIÆ induit, anno. 1551. in Presbyterum ordinatus an. 1555. In Præpositum infirmorum electus feriâ secundâ ante festum S. IOANNIS BAPTISTÆ, anno 1562. Tandem post decessum Domini IOANNIS LOWCZOWSKI ABBATIS, electus in Administratorem vacantis Monasterij, die 21. Maj Festo S. HELENÆ Viduæ. anno 1568. Deniq; in ABBATEM TINECENSEM, in Vigiliâ Ascensionis Domini, vnanimi Fratrum voto, suffectus anno eodem 1568. Præsentatus, per Serenissimum SIGISMVNDVM Augustum Regem Poloniæ, ipso die Sanctissimæ TRINITATIS eiusdem anni. Confirmatus verò & solenniter Benedictionem accepit à Reuerendissimo Domino PHILIPPO PADNIEWSKI Episcopo Cracouiensi, Dominico die infra Octauas Sacratissimi Corporis CHRISTI. Cuius virtuti, præclarè fortuna respondisse videtur, cum is sit, qui & propter ætatem tanto muneri sustinendo aptissimam, & propter insignem eruditionem rerumq; magnarum cognitionem, dignissime hanc prouinciam administrare & adornare possit. Optandum itaq; vt in eâ Dignitate, quæ illi DEI munere obuenit, plausuq; hominum est confirmata, ad maiorem DEI gloriam & sanctæ Ecclesiæ decus, quàm diutissimè præsit: talemq; se in facto exhibeat, vt & omnium de se expectationem impleat, & alijs ad simile exercendum munus exempla imitatione*

tione

tione digna proponat, per qua & honor Immortalis DEI *propagari, & ipse immortalitatem nominis consequi valeat.* Hactenus de HIERONYMI ætatis progressu, ille coæuus eidem scriptor, quem ad fastigium ABBATIALIS honoris euectum, votis insuper faustâq; apprecatione deuotissimè est prosecutus. Cæterùm HIERONYMVS, TINECENSIS domicilij suscepto regimine, omnes cogitationes suas eò direxit, vt TINECIÆ quàm optimè esset: hoc eius ingens desiderium, Literæ ex Actis Monasterij desumptæ luculenter declarant, quarum tenorem subijcio. *HIERONYMVS KRZYZANOWSKI Diuinâ vocatione ABBAS TINECENSIS Ordinis S. BENEDICTI. Venerabili ANDREÆ BRZYCHWA in Villa Koscielna Præposito eiusdem Ordinis S. BENEDICTI, Cluniacensis Congregationis, Professo Monasterij TINECENSIS salutem in Domino. Nemini vestrum dubium est, cuiusmodi alienationes bonorum Monasterij nostri TINECENSIS per Reuerendos Antecessores nostros in manus sæcularium personarum factæ sunt, non sine magno detrimento & iactura mensæ nostræ ABBATIALIS & totius Conuentus Monasterij nostri. Quâ quidem in re nonnulli ex Fraternitatibus vestris Præpositi, exemplum & vestigium illorum sequentes, bonorum, Præposituraru͂m suarum, carni & sanguini indulgentes, alienationes quoq; fecisse dicuntur, in diminutionem & detrimentum prædictarum Præposituraru͂m & Cellarum. Similiter & negotium occasione Monasterij & ABBATIÆ Orlouiensis & bonorum illius per Ducem Tessinensem occupatorum coram S. C. Mte: agi cæptum, statum Monasterij nostri vehementer perturbauit. Quæ causa est, quod Nos quamprimùm ad eum apicem dignitatis ABBATIALIS Monasterij TINECENSIS vnanimi consensu Fratrum electi, deinde à S. R. Mte: præsentati, ac deinceps per Loci Ordinarium Confirmati de more & consuetudine, & secundum præscriptum Regulæ Monasterij nostri, euecti sumus, in eam curam pro officio nostro pastorali incumbendum esse duximus, si quo modo bona alienata per nostros prædecessores, ex manibus secularium modernorum possessorum recuperari, ac ad ius & proprietatem Monasterij reuocari possint: cum & S. R. Mtas literis suis, & Reuerendissimus in Christo Pater, D. PHILIPPVS PADNIEWSKI DEI gratia Episcopus Cracouiensis admonitionibus frequentibus, id à Nobis exigere videntur, & ad id patrocinium, operam, & auxilium adferre pollicentur. Sunt præterea multa, ad Disciplinam Regulæ Nostræ pertinentia, ex suis locis luxata, quæ instauratione & refor-*

& reformatione indigent; de quibus omnibus negotijs, nos consilium capere sine præsentiâ Fraternitatum VV. vti membrorum sociatorum Monasterij nostri, nullâ ratione possumus. Quare Fratern: T. in virtute sanctæ Obedientiæ religiosæ, & sub Excommunicationis pœnâ monemus ac iubemus, vt ad diem Diuo Martino sacrum, proximum, in Monasterio nostro TINECENSI, vnà cum alijs Præpositis Cellarum compareas, de supradictis negotijs, & alijs Monasterio TINECENSI Vestrarumq; Præpositurarum & Ordinis necessarijs, simul cum Fratribus Conuentûs deliberaturi, tractaturi, consulturiq;: alioquin si secus facere præsumpserit, Nos contra contumacem & Monasterio nostro inobedientem, ad Excommunicationis & alias pœnas Regulares à Iure ordinatas procedemus, dante Domino: certificando interim Fraternitatem T. quod siue ad diem præstitutum venerit siue non, nos nihilominus ad tractatus necessarios & vtiles Monasterio, cum præsentibus procedemus, contumaciâ tua non obstante. Mandamus etiam omnibus & singulis FF. in dicta Cella existentibus in virtute S. Obedientiæ & similibus pœnis, vt hoc nostrũ Mandatum exequantur, & à tergo præsentium executiones subscribant. Datum in Arce Monasterij TINECENSIS Anno 1568. die 28 Octobris. Talia primordia studiorum eius, haud dubiam spem faciebant, fore vt concreditam sibi prouinciam maximâ integritate administraret; vtq; tantæ omnium expectationi de se non tardè responderet, ædificationem est primò aggressus, mœnia Arcis, & triclinia, quà vetustate fatiscentia, quà obscuris fenestris angustisq; & ad recipiendum lumen incommodis, magnâ ex parte diruit, atq; alia tum firmitate & laxitate loci, tùm operis elegantia & splendore longè magnificentiora restituit. Templum subinde, pro Cœnobij dignitate, iterum erigere cum decreuisset, & in eum finem res necessarias in vnum coaceruaret, repentinâ infirmitate vehementer oppressus, quinto sui regiminis anno, ad diem xv Kal: Augusti, æræ Christianæ, 1572. è vita migrauit; vir morum & prudentiæ laude insignis, æquè bonus Monachus ac ABBAS, quiq; tiaram ita innoxie circumtulit, vt illam Numinis dono, non fauore humano aut fortuitò, euidentissimum sit accepisse.

Antiquata Domûs reuocatur gloria Nostræ,
Et noua virtutum germina sponte nitent,

Dum geris Abbatis titulum, munusq; decusq;
Magne CRISANOVI, *iam mage notus eris.*
Relligio, pietas, virtus, constantia, fama,
Sunt veri comites laudis vbiq; tuæ.



ANDRE: BRZECHWA, ABBAS LVII.



NDREÆ BRZECHVVÆ, nedum claris inter Minoris Poloniæ Equites, natalibus, sed ingenij etiam præstantiâ & BENEDICTINI instituti exactâ obseruatione conspicuo, post nonnullas inferioris ordinis Præfecturas, vti Prioratûs claustralis apud TINECIAM, & Præpositura Koscelnensis, rectè & cum laude administratas, supremus Monasterij TINECENSIS Magistratus obuenit. Is ab adolescentia, apud TINECENSES professus, summâ pietate, religiosiq; instituti studio atq; obseruatione semper excelluit, & ob morum ac ingenij elegantiam, plerisq; admotus functionibus, absolutum legitimi religiosorum moderatoris, ac præsidis exemplar, se præbuit. Ferunt si quidem, ad Monasticæ disciplinæ leges exactè adeò fuisse compositum, vt ab omni leuiore verbo, gestu, incessu, cum longissimè abhorreret, totius corporis habitu antiquam priscorum Monachorum grauitatem, sine fuco ac simulatione præseferens, ab ipsis etiam Primoribus, quà Ecclesiasticis quà secularibus viris, comparauerit sibi venerationem, ne dum à suis subditis summo honore atq; obseruantiâ coleretur. Sermone & eloquendi promptissima facultate plurimum excelluit: quà prædiues, cælestem doctrinam salutaremq; religionem ac pietatem verbo prædicationis pro Rostris Ecclesiarum publicè tam in summa Cathedrali Cracouiensi basilica, quàm in alijs celebrioribus vrbis eiusdem templis, apud audientes

dientes explicabat, vitæq; exemplis spectatissimæ animis intuentium formam probitatis præferens, à seculi lubricitate & mentis socordia, ad solius DEI ardentem amorem, & virtutis studium homines traducebat inclinabatq;. Nec minus in gerendis rebus industrius fuit, quin omnia diligentiæ suæ concredita, tanto studio & sedulitate continuabat, vt semper successus labori responderit, eiusq; conatus gratissima omnium collaudatio magnoperè commendarit. Interea & disciplinæ religiosæ cultor fuit mirificus, studiosissimeq; aduigilabat, ne quid ad eam euertendam, impunita subditorum licentia moliretur, vel Rectorum oscitantia, nimiaue indulgentis animi facilitas, permitteret. Ædificia quoq; domûs, varijs locis antiquitate deformata, restaurauit, & amplificauit; Sacrario, supellectilem prænobilem holosericam addidit, & ex argento, aliqua fieri procurauit. Laborauit insuper, pro extorquendis è manibus hæreticorum ABBATIÆ ORLOVIENSIS bonis, super quo negotio, crebriùs per epistolas, cum supremo Silesiæ Capitaneo, Episcopo Vratislauiensi egit. Varijs interea morborum generibus, ijsdemq; acutissimis corripiebatur, quibus suo affixus lecto, dum longiùs detinetur, STEPHANO BATOREO REGE Poloniæ instante, in Coadiutorem ABBATIÆ TINECENSIS, NICOLAVM MIELECIVM admisit; quo ad tandem viginti annis in munere Abbatiali (ex quibus decem continuos, inter graues cruciatus morborum, patientiâ admirabili egit:) ad maiorem sui probationem, & meritorum incrementa, simulq; ad acuendam aliorum virtutem, traductis, vitam cum morte commutauit: vir communium totius Ordinis consuetudinum tenax, singularìq; animi moderatione clarus; Verùm, quæ hominum imperfectio est, quæq; non malos, transuersùm sæpè agit,) carni & sanguini plus æquo adfectus, magisq; in eos, de cænobij opibus, profusior quàm liberalis, quibus aliquot pagos, iure aduitalitio, cum certarum summarum inscriptione concessit; nec non, bona pleraq;, contractis debitis, & inscriptionibus in præsentèm diem multum onerosis, celebratis, implicuit & aggrauauit, per quæ egregia de ipso existimatio, in summum apud posteros discrimen, est reuocata. Inter viuos desijt esse, pridie Nonas Febr: Anno 1593.

Vir animo sapiens, morum grauitate verendus
BRZECHVVA *sacræ præsul Relligionis amans;*
Enituit quantum sapienter munere gesto?
In cathedris tantum floruit eloquio.
Sanguinis ille tamen nimio plus commoda quærens,
Commoda prospexit relligiosa minus.



NICOLAVS MIELECKI ABBAS LIIX.



ICOLAVS MIELECCIVS, SEBASTIANI in Mielec MIELECKI, Castellani Cracouiensis, Senatoris (vt fertur) Patriæ amantissimi, & Doctorum virorum cultoris præcipui, filius; cum antiquâ generis nobilitate, nonnullas etiam, paternæ domûs veluti hæreditarias dotes, generosum animum, & pectus heroicum, ingenij bonitatem, candorem mentis ingenuum, & suauissimam morum, agendiq; facilitatem, à naturâ sortitus est. Quæ quidem prærogatiuæ, post susceptam in TINECENSI Cænobio Monasticen, excultæ sedulò atq; insigniter auctæ, omnium illi beneuolentiam, & Principum virorum amicitiam, facilè comparârunt. Iamq; NICOLAVS in TINECENSI Cænobio, vitam regularem solenniter professus, & à Sixto quinto Pontifice, Coadiutor Abbatiæ eiusdem confirmatus, nonum annum inter TINECENSES, Coadiutoris dignitate insignitus agebat; cum ANDREAS BRZECHVVA ætate prouectus, & diuturnâ inualetudine attritus consumptusq;, vltimam vitæ periodum accepit: in cuius locum MIELECCIVS è vestigio, vti Coadiutor cum futurâ successione, à Conuentu Fratrum olim electus, & à Sede confirmatus, absq; vllius contrauentione successit. Quem Magistratum adeptus, ita cum exer-

cuit, vt à seipso, id est, ab innatâ prudentiâ, religiosâq; benignitate discedens nunquam, gratissimus Tinecensibus fuerit; expertus vicissim, prona istorum ergà se studia, insignemq; perpetuò obseruantiam. Monastici instituti disciplina, & peculiares religiosissimæ domûs sanctiones ac ceremoniæ (à Cluniacensibus præsertim haustæ quondam, TINECIÆQ; excultæ) vt quam diligentissimè seruarentur, cauit perattentè. Atq; vt pleniorem harum Obseruantiarum cognitionem ipse haberet, eo animi proposito, Cluniacum se contulit, vbi non nihil demoratus, Mucetas illorum Monachorum insignia, TINECIAM detulit, & gestandas suis permisit. Ordinationes, ab se magnâ prudentiâ factas, tam Particularibus locis, quam Generali Conuentui apprimè vtiles, sæpius innouauit, & ab omnibus seruari, diligenter institit. Ad prouentus verò fortunasq; Cænobij, ac res omnes temporarias, quod attinet, operam dedit, vti à ministris fideliter accurateq; tractarentur; haud ignarus, à diligenti facultatum, reiq; familiaris procuratione, non facilem modo atq; expeditam Prælatorum administrationem, sed mutuæ etiam animorum concordiæ, ac pacis nexum inter subditos, adeoq; diuini cultûs, & religiosarum Constitutionum obseruationem, magnâ ex parte deriuari. Porrò ad propagandas optimas inter suos TINECENSES literas, cum & ipse ad eiusmodi studia, singulari naturæ impulsu proueheretur multùm, instituendæ religiosæ iuuentuti scholam aperuit, doctosq; Professores Gymnasio TINECENSI, & promouendis scholasticorũ studijs præfecit, ex quibus postea, optimis disciplinis complures egregiè imbuti, ad antiquum Tinecensis familiæ splendorem, prodierunt. nec minus præstitit beneficium, dum libros Bibliothecæ perplures comparauit, varijsq; Instrumentis Mathematicis, non mediocri pretio, in Italiâ & alibi coemptis, librariam Cænobij locupletauit. Sacrum quoq; apparatum, qui solemnioribus diebus adhibetur, multiplicem ac pretiosum, cum diuersis sacrarij instrumentis, Ecclesiæ adiecit. Cæterùm, non alias magis in ornando Tinecensi sacrario, NICOLAVS MIELECCIVS suam pietatem probauit, quàm cum Româ cælestis thesauri pretiosissima pignora, venerandas videlicet sanctorum Reliquias, ad Tinecenses detulit, quibus Ecclesiæ eorundem opes, auctiores sacratioresq; reddidit, suiq; obsequij religiosissimi, & testatæ deuotionis

argumentum reliquit. prolixior Sacratissimorum istorum lipsanorum TINECIÆ habetur Catalogus, & loculi Sanctissimis Reliquijs locupletes conspiciuntur, quibus TINECENSES auxit, & quæ ab illis, quâ par est reuerentiâ & religione, asseruantur. Cauit præterea MIELECCIVS diligentissimè, ne Iura Monasterij (se quidem moderatore ac Præfecto) ullâ ratione à quoquam violarentur, pro quorum defensione & iniurijs subditorum, cum Potentibus vicinis, acerrimè pluries disceptauit. Hæc & alia, paulo plus decennali administratione perfecit apud Tinecenses MIELECCIVS, nec dubium erat, quin pro suâ generositate, multa fuisset ad Tinecensis Cænobij splendorem, rationesq; insigniter amplificandas perfecturus, si in humanis diutius agere concessum extitisset: at cum sapienter rebus prosequendis intendit, insperata mors Lapcicijs diuersantem aggressa, insigni TINECENSIVM incommodo, sustulit Heroem, apud posteros longâ prædicatione memorandum, & celebrandum. Decessit Anno 1604. ipso solemni die Sanctorum PETRI & PAVLI Apostolorum, quorum Patrocinia, TINECENSIVM ædes alumnosq;, tuentur & exornant. Præfuit annos vndecim, & menses tres.

Vir pietate grauis MIELECCIVS, *vltimus ille est*
Consensu Patrum lectus in imperium.
Tandem (proh dolor) irrepsit vis aulica in vsum
Nec pudet (ò probrum) deteriora sequi.



PARER-

PAREBGVM, De TINECENSIS Cænobij COMMENDATARIIS ABBATIBVS, siue ADMINISTRATORIBVS.



Blato per mortem MIELECCIO, TINECENSIS *Cænobij Patres, Regi vti Monasterij sui Patrono, & Episcopo Cracouiensi tanquam Loci ordinario,* ABBATIS *significarunt obitum, simulq; ad alium substituendum, gratiosè assignari per eos futuræ Electioni diem, suppliciter expostularunt.* BERNARDVS MACIEIOWSKI *Episcopus Cracouiensis & S. R. E. Cardinalis, ad diem 23 septembris currentis tunc anni 1604, D.* PAVLVM DABSKI *Episcopum Laodicensem. & Suffraganeum Cracouiensem, atq;* HIERONYMVM RECZANSKI *Archidiaconum Cracouiensem; vti Commissarios suos* TINECIAM *ablegauit, qui eius loco Electioni iuxta receptam olim consuetudinem, præsiderent, & vota suffragantium è Conuentu Fratrum exciperent supputarentq;. Aduenerant pariter & Regij Nuntij, voluntatem Maiestatis suæ, in eo esse positam declarantes, vt tutela & administratio* ABBATIÆ TINECENSIS STANISLAO SVLOVIO *Canonico Cracouiensi committeretur: simulq; indices mentis Regiæ literas, huiusmodi protulerant.* SIGISMVNDVS III. *D. G. Rex Poloniæ Magnus Dux Lituaniæ Russiæ Prussiæ Samogitiæ Liuoniæ &c. nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumq; hæreditarius Rex. Religiosi deuotè nobis dilecti. Monasterio vestro* TINECENSI, *cum ob eius vetustatem, Institutiq; sanctimoniam, tùm ob illustrem in eo fundando Dominorum antecessorum nostrorum Regum Poloniæ liberalitatem, memorabileq; pietatis exemplum, optimè affecti sumus, singularìq; curâ & solicitudine tuendum illud nobis fouendumq; esse censemus. Mortuo igitur* NICOLAO MIELECKI ABBATE *vestro, (cuius animæ* DEVS *sit propitius) diutius nobiscum ipsi deliberauimus, quis nam pro istius loci commodo & dignitate, in locum demortui sufficiendus esset, expensisq; & benè ponderatis*

deratis rationum omnium momentis in eam tandem sententiam descendimus, vt Venerabilem STANISLAVM SVLOWSKI Canonicum Cracouiensem secretarium nostrum supremè suspiciendo, & ex illius loci, Deuotionumq; Vestrarum vsu, gerendo huic muneri maximè idoneum esse, atq; in Conuentu isto, eligendo ABBATI destinato, proponendum Deuotionibus Vestris atq; commendandum iudicauimus; id quod, cùm præsentibus nostris literis, tùm per Nuntios Nostros, Venerabiles SIMONEM RVDNICKI Maiorem Regni, & IOANNEM KVCZBORSKI Scholasticum Gnesnensem, Secretarios nostros facimus, benigneq; Deuotiones vestras requirimus & hortamur, vt hunc & non alium, in ABBATEM suum TINECENSEM eligant seu postulent, electumq; seu postulatum nobis intiment ac præsentent. Est hic vir, cùm vetustâ claraq; generis nobilitate insignis, tùm suis, & Maiorum, propinquorumq;, in Nos & Rempublicam meritis, fide præterea, & in rebus gerendis dexteritate, vsu, prudentiâ, & diligentia atq; adeò, doctrinâ, pietate, integritateq; singulari conspicuus, ob easq; causas nobis valdè gratus: quo commodiorem etiam Deuotionibus vestris futurum speramus, atq; confidimus, Deuotiones vestras, pro suâ erga nos fide & obsequio, nobis in eo, non autem in quopiam altero eligendo, studium suum esse probaturas: quod nobis valdè gratum, & ad fouendam ergà Deuotiones vestras propensionem nostram, percommodum fuerit. De cætero Deuotiones vestræ suprascriptis Nuntijs nostris plenam fidem habebunt, in suisq; precibus & sacrificijs nos ipsos, Regnum hoc, & publicas eius actiones DEO Optimo maximo commendabunt. quibus continuum Diuinæ gratiæ incrementum exoptamus, & Regiam nostram gratiam deferimus. Datum Cracouiæ Die xx Mensis septembris. anno Domini 1604. Regnorum nostrorum, Poloniæ XVII, Sueciæ XI. SIGISMVNDVS REX. Quibusquidem lectis literis, Conuentus Fratrum pro veteri regulariq; consuetudine, præmissis ad Diuinissimi Spiritus concilian dam præsentiam, solitis deuotionibus, adhibitisq; iis omnibus quæ circa Electiones Canonicas Iura disposuerunt, & quæ Regula S. BENEDICTI de eligendo ABBATE præscripsit, vsusq; tanti temporis introduxit, ad locum Capituli, vnà cum Ablegatis Regijs & Loci ordinarij descendendo, ALBERTVM BARANOWSKI Præpositum Koscielnensem Ordinis & Conuentus TINECENSIS Professum natalium genere, & merito, virum eximium, concordibus suffragijs, nemine discrepante, omnes pariter elegerunt. Quem cum Serenissimo Regi approbandum, confirmandumq;, additis prolixis supplica-

plicationibus commendarent præsentarentq́, multorum etiam virorum ordinis senatorij accedente rogatu, adduci se Rex non est passus, vt à proposito animi decreto quidquam concederet. Jtaq́ post multa inaniter tentata, postq́ plures, ad Pontificem, Rotamq́ Cardinalium super negotijs Regularium præpositorum, supplicationes incassum porrectas, cum frustra Leges, Jura, Priuilegiaq́ compellarentur per nostros, Arcis TINECENSIS *obseratam sexcenti pedites benè aperuerunt portam,* SVLOVIVSQVE *in possessionem Monasterij est introductus; sub cuius primum ingressum, hæc insuper cauillatio in Monachos sparsa fuit.*

Quid iuuat vt Monachus iactet sua Iura, libellos,
Principis arbitrio fortius ecquid erit?
Quem DEVS, *atq́ volet* REX *vobis ponitur Abbas,*
Regibus atq́ DEO *quisq́ subesse solet.*



STANISLAVS SVŁOWSKI,
Commendatarius Primus.
ABBAS LIX.



STANISLAVS SVŁOVVSKI, Canonic⁹ Cracouiensis, Secretarius Regius, & Salis Fodinarum Præfectus, SIGISMVNDI Regis fauore, primus omnium numeratur, cuius tutelæ ac patrocinio TINECENSE domicilium committeretur. Js splendore natalium, & morũ elegantiâ cultissimus, postquã in Aulâ Cardinalis RADZIVILI plures exegisset annos, ad Regiam transiuerat: in quâ grauioribus negotijs Regio nomine curandis adhibitus, pro insitâ

sibi prudentiâ dexteritateq;, ac singulari in Regem beneuolentiâ, omnia cum laude temperabat. Itaq; Rex perspecta eius sapientiâ & probitate, vt eum quam obstrictum sibi haberet, eiusq; consuetudinem sæpius degustaret, consilijs verò & opera in rerum difficilium procuratione vteretur, eundem ABBATIÆ TINECENSIS primum Administratorem renunciauit. In qua administratione, nihil curæ & solicitudinis omisit, quo commissam sibi domum instaurare, atq; adeo exornare posset, & pristinæ maiestati restituere. Quocirca, templi nauim maiorem, vetustate squallentem & subobscuram, à fundamentis erigere decreuerat, magnamq; vim materiæ, ad eum effectum præparari curabat; & alia multa similia, ad decus Cœnobij, cogitatione religiosâ facere conabatur; cuius tamen magnanimos conatus, euentus nullus excepit, quia mors in ipso apparatu & molimine rerum, insperatè hominem aggressa, letaliter oppressit. Jn aulis dum ageret, egregiæ conuersationis & morum insigni commendatione acceptus, in intimam Virorum Principum familiaritatem irrepebat, quam illi non mediocriter augere videbatur. illa eius singularis humanitas & in omnes liberalitas promptissima, quâ omnes conciliabat, qui eius contubernium fidenter conuenissent. Decessit Cracouiæ, anno 1618. Nonis Januarij, sepultus TINECIæ, ante maius Altare: Præfuit annis vndecim.

Clara domus meritis tibi clara potentia rerum est,
SVLOVI? *quis te prendere claustra iubet.*
Accipe sacratam votis Patrum accipe vestem
Ni facis, ingenuum pernego te esse Patrem.



STA-

STANISLAVS LVBIENSKI, Commendatarius II. ABBAS LX.


TANISLAVS LVBIENSKI, Episcopus Luceoriensis, & Regni Poloniæ Procancellarius, quis & quantus fuerit, tametsi præsens non ignoret ætas, posteros tamen, hæc nostra legentes, subibit penitius noscendi illum cupido. Genus ei vetustum & nobile, vulgò *Pomianum:* Patre SVENTOSLAO LVBIENSKI, & Matre Barbarâ de Zapolice, sorore consobrinâ MATTHIæ PSTROCONII Episcopi Vladislauiensis, natus: sub quorum cura domestica, vsq; ad id tempus ætatis, quod, literis capessendis idoneum est, habitus, ijsq; quà Siradiæ, quà Calissij, prompto semper & facili ingenio haustis, Iuris patrij notitiam in Castro Lenciciensi acquisiuit, & postmodum PSTROCONII auunculi, domesticæ institutionis non modo alumnus, sed adiutor laborum fuit. Jn regiam hinc euocatus aulam, scribendisq; Regio nomine literis adhibitus, apud PETRVM TILICIVM Episcopum Cracouiensem Curiæ Cancellarius & Archidiaconus Cracouiensis, mox Regens Regiæ Cancellariæ, egregiam operam suam omnibus excellenter probauit. Auctus verò liberalitate Regis ABBATIÂ TINECENSI, honoris adepti, simulq; oneris suscepti rationes, seriâ mente expendens, non fuit contentus opimos Cœnobij reditus annis percipere singulis, nisi Spartam quam nactus erat ornaret, & labores sumptusq; in reparandis vetustorum ædificiorum ruinis, strenuè impenderet. Proinde exolutis debitis per suum antecessorem immediatum contractis, fabricam Ecclesiæ TINECENSIS, quam antecessor iactis fundamentis, mortuus prosequi non poterat, ipse magnâ alacritate animi aggressus, felici studio cæ-

ptum compleuit opus: prout testatur in frontispicio Ecclesiæ Cænobialis, Inscriptio præliminaris huiusmodi, *Templum hoc Regij Cænobij* DEO *Optimo Maximo, Sanctissimæ Virgini Matri, & Principibus Apostolorum Sacrum. Dirutis vetustate corrupti ædificij parietibus, nouâ formâ, nouo tholo, noua porticu, nouisq; turribus & sacellis ad latera adiectis ac erecto frontispicio,* STANISLAVS LVBIENSKI ABBAS TINECENSIS *struxit, ornauit, longèq; augustius reddidit, Anno Christi 1622.* SIGISMVNDO *Tertio Poloniæ & Sueciæ Regi, Vita & imperium: Regiæ eius soboli felicitas: Patriæ charissimæ tranquillitas & concordia.* Consummato autem opere Ecclesiæ Tinecensis, auctæ per se & innouatæ, vt ab eius studio reliqua confecta haberentur, dedicari eam idem procurauit, testante Publicâ eiusdem Ecclesiæ scripturâ, quæ sic habet. *Anno Christi 1622 die VIII Mensis Maj, Diuo* STANISLAO *Sacra. Templum hoc magna ex parte collapsum, & per Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum* STANISLAVM LVBINSKI ABBATEM *restauratum, formis, columnis, & capellis nouis auctum & exornatum, Illustrissimus & Reuerendissimus D.* MATTHIAS LVBIENSKI *Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Chelmensis, ex admissione Illustrissimi & Reuerendissimi Domini* MARTINI SZYSKOWSKI *Episcopi Cracouiensis consecrauit & dedicauit, in honorem Dei omnipotentis & B. V.* MARIÆ, *sub nomine Principum Apostolorum Beatorum* PETRI & PAVLI. *Altaria item minora septem, Primum, sub nomine Luctus B. Virginis & S.* STANISLAI *Episcopi & Martyris, ac S. Vrsulæ & sociarum eius. Secundum in honorem Sanctissimæ* TRINITATIS *& Beatissimæ V.* MARIÆ, *ac omnium Sanctorum. Tertium in honorem Sanctorum Confessorum* BENEDICTI, CAROLI, JGNATII, *Quartum sanctis Virginibus,* SCHOLASTICÆ, BARBARÆ, TERESIÆ. *Quintum sub titulo Sanctæ* CRVCIS & ANDREÆ *Apostoli & Sancti* HIACYNTHI. *Sextum titulo Diuæ* ANNÆ *auiæ Saluatoris nostri. Septimum Diuis* ADALBERTO, VENCESLAO, & CASIMIRO *sacrum. Hæc omnia altaria, reconditis in ijs diuersorum Sanctorum Reliquijs idem Illustrissimus & Reuerendissimus D. Episcopus Chelmensis consecrauit, dedicauit. Dedicationis verò dies anniuersaria festa celebrabitur, iuxta veterem huius Ecclesiæ consuetudinem Dominica Prima post festum Sancti Francisci Confessoris.* Non solius verò Ecclesiæ structuram, Lubienius æternâ memoriâ dignissimus Heros promo-

uit

vit, Cænobij etiam maiorem partem, submotis ædificijs ligneis, muratam à fundamentis erexit: puteum intra mediam Arcis TINECENSIS aream in petra exscindi curauit; bona nonnulla per antecessores alienata, iure vindicauit; neq; his demereri Tinecenses suos contentus, cum partem notabilem prouentuum in restaurandis ruinis expendisset, se quoq; ipsum Ordini Nostro contradere & sacramento Religionis Benedictinæ per expressam professionem obligare induxerat in animum, iamq; Habitum religionis deferre, & Breuiario Monastico vti consueuerat: verùm desideria eius, secreta REGIS SIGISMVNDI destinata morabantur, qui vltrò apud sedem Apostolicam effecerat, vt LVBIENIO vicaria Abbatiæ Tinecensis cura, quinquennio amplius continuaretur. Interea REX iudicij sui staterâ diu examinatum STANISLAVM LVBIENIVM ad Episcopatum Luceoriensem promouendum sedi Apostolicæ nominauit: eundemq; iam Episcopali dignitate conspicuum, nouo iterum honore auxit, Procancellariatu Regni ad eum delato: quem ille non amplius triennio, cum Administratione simul Abbatiæ Tinecensis, sustinuit: quippe desideranti se ab aula subducere, totamq; operam in gerendo Antistitis munere ponere, voto potiendi, opportunam facultatem Plocensis Cathedra tunc vacua, & in Procancellariatu IACOBI ZADZIK prudentiæ fama, in Administratione vero TINECENSIS ABBATIÆ HENRICI FIRLEY meritum, successorem dedit. Attamen post abdicatam TINECENSIS Cænobij administrationem LVBIENIVS, nihil de pristino amore erga TINECENSES remisit, imò ad extrema vitæ tempora solito eos animi beneficio est prosecutus, duoq; argentea candelabra testamento addixit, vt quos semel intra cordis sinum receperat, eosdem & in morte perpetuâ beneficiorum prosecutione accumularet. Reliquæ insignes eius virtutes, & præclara de Ecclesia DEI & republica merita, diserto eloquio inter Vitas Plocensium Episcoporum & inter doctissima eius Opera Antuerpiæ impressa, recensentur. Fatale verò heroicorum eius facinorum impedimentum, scilicet Mors inuida Varsauiæ Comitiorum causa degentem aggressa est, per suum satellitium, languorem nempe corporis insolitum, quo sex ante supremum diem Mensibus correptus, seq; ad vltimum certamen Viscouiæ præparans, die sexta Aprilis, demo-

de more quidem languidus, cætera, nulla noua ægritudine tentatus, recitatis pro more Ecclesiasticis precibus Matutinis sequentis diei, momento temporis, animi corporisq; viribus destitutu s, adstantibus viris religiosis quos semper retinuit, Anno salutis 1640. ætatis 67. sine cruciatu sensuq; doloris placidè obdormiuit. Cuius supremis MATTHIAS frater eius maior natu, tunc Vladislauiensis Episcopus & postea Regni Primas, in Cathedrali Plocensi honorem habuit & corpus tumulo commendauit. Postulatus est in Ab: Tinec: Anno 1618. die XI. Iunij. Resignauit eand: Abb: Anno 1627. itaq; Præfuit annis nouem.

Salue Mecænas indulgentißime salue
Delicium sacri præsidiumq; chori.
Mænia, Templa, Patres, vnâ te voce salutant,
Es verus meritis, & pietate Pater.



HENRICVS FIRLEY,
Commendatarius III.
A B B A S LXI.




ENRICVS de Dombrouica FIRLEY, IOANNE Supremo Regni Thesaurario Patre, natus, ita à puero sanctißimis moribus imbutus fuit, vt peragratis locis illis in quibus acutiora gignuntur ingenia, ac demum sacris initiatus, ad sublimes dignitates & gradus quosq; obtinendos, illustri familiæ suæ debitos, innata virtute sibi ascensum comparârit. Referendarius Regni constitutus, hoc officium multis & arduis expositum laboribus, adeò impigrè & integerrimè exercuit, vt eius grauißimum iudicium, in rebus tractandis summam pruden-

prudentiam, pietatem in DEVM, amorem in patriam, obseruantiam erga Principem, in omnes comitatem insignem, cuncti amplissimis laudibus deprædicauerint. Exinde regimini TINECENSIS ABBATIÆ admotus, in ea administranda, talem se exhibuit, vt pro eius defensione ac ornamento multa egregie præstiterit: ac inprimis religiosorum mensæ & communibus vsibus addendo quædam bona prouidit liberalius, eosq; loco fratrum perpetuo coluit, nullumq; etiam de minimis è cætu Cænobij ad propriam audientiam admisit, cui introeunti non assurrexisset, & sellâ oblatâ, eundem sedere prius iussisset, quam loquentem audisset. neq; hac solum gratissima vrbanitate morum, Tinecensium animos demulcebat, multa ille ad sacrarij apparatum ex propria gaza liberaliter contulit, multa ad ornatum templi & parietum venustatem conducentia præstitit, propter quod celeberrimam nomini suo famam æternùm comparauit. Dumq; in oculis Regni, in Aula Regis, inter multiplices publicas curas versatur laudabiliter, ad Episcopatus Premisliensis euectus culmen, vt ex eo, veluti è specula eminentiore, virtutes eius clarius & amplius diffunderentur. vt non abs re gratulari quis valeat SIGISMVNDO REGI, gratulatione pari quâ Imperatori Theodosio quondam de euecto ex Iudice seculari ad Episcopale fastigium Diuo Ambrosio, gratulabatur vniuersa Ecclesia, quod tales Iudices Curiæ & Regni constitueret, qui Episcopali munere digni essent. Jam vero HENRICVS Sacro Presbyteratus initiatus Ordine, incruenti sacrificij solennes primitias, festo die S. ANNÆ, in frequenti gratissimorum hospitum conuentu, in Ecclesia TINECENSI deuotissimè celebrauit: neq; multo post, spatio videlicet Mensium quinq;, ibidem præsentibus multis Illustrissimis viris in Episcopum solenniter consecratus est: ad hos autem tam augustos diuinosq; explendos actus, TINECIAM sibi selegerat, quod religione loci, fratrumq; præsentia, vehementius se hîc permoueri detineriq; quàm alibi asseueraret. Sed cum ad eum maioribus prærogatiuis ornandum, æquè diuina prouidentia, ac Principis beneuolentia feliciter se inclinarent, vltro delatam ad se Cathedram Posnaniensem non potuit non admittere, ne cælesti Numini, & terreno Principi ingratus videretur, neue repugnaret amicissimorum sibi fautorum votis. Hîc Premisliensi & Tinecensi administratione

tione dimissâ, cum HENRICVS ad Cathedram Posnaniensem splendidum ingressum molitur, præter spem omnium, podagræ acutissimis exceptus doloribus, in alteram translatus est vitam. Tertio Nonas Decembris Anno 1635. Præfuit Monasterio Tinecensi annis sex. In cuius Leopardum gentilitium, in maiori pòrticu eiusdem Cænobij depictum, Carmen hoc appositum legitur.

Vt potis est, retinere feras Leopardus odore
Sic HENRICE *tuo proficis ingenio*
Quin varium virtute magis superas Leopardum
Attrahit ille feras, tu bonitate homines.



CAROLVS FERDINANDVS PRIN: POL: Commendatarius IV. ABBAS LXII.



CAROLVS FERDINANDVS SIGISMVNDI tertij Poloniæ & Sueciæ Regis filius, Vladislai quarti, & IOANNIS CASIMIRI Regum Poloniæ Frater, Augusti Ferdinandi Cæsaris Nepos, Opoliensis & Ratiboriensis Dux, Poloniæ & Sueciæ Princeps, rogatu Vladislai Regis, & Comitiorum generalium Regni laudo consensuque, cum Episcopatu Plocensi TINECENSIS ABBATIÆ administrationem Sexennio possedit. Vbi, cum subinde in personâ suâ, & cum aulæ frequentiâ demoraretur & ageret, periucundum & deuotum morem habuit, Religiosorum conuentum adire, grauiorum Patrum cellas inuisere, vnumquemq; è Monasterij cætu benignius affari,

& omni-

& omnibus paratissimum animum multaq; clementiâ temperatum abunde contestari. Apud Regem fratrem, & in Comitijs Generalibus, TINECENSIS Cœnobij Patres pro vindicandis aliquibus bonis iure contra detentores agentes percommodè & cum effectu adiuuit, estq; tutatus. Liberalitatis præterea suæ non leuia documenta apud eosdem reliquit, argenteum opere elegantissimo Reliquiarium, Casulam ex veste attalicâ holosericâ pretiosiori, & alium templi ornatum, regiæ magnificentiæ donaria. Suscepit Cœnobij regimen anno 1635, & dimisit illud anno 1641. Princeps Naturæ, Fortunæ, & Animi bonis, si quis vspiam cumulatissimus, in quo rediuiua illa CAROLI BOROMÆI sanctitas (quem nomine & exemplo reddebat) pari pietatis cultu resplendebat; & qui in tam summo fortunæ & honorum fastigio consistens, non magnus magis, quam bonus audire desiderabat, duasq; res inter se diuersissimas, Potentiam & Modestiam insigni temperamento commiscebat.

Has etiam rupes, hæc limina sacra CAROLVS,
Lustrauit Princeps per benefacta potens,
Aurea testantur summum ornamenta fauorem,
Principis est virtus sic placuisse DEO.



PETRVS GEMBICKI,
Commendatarius V.
ABBAS LXIII.

PETRVS GEMBICKI, veteri & illustri Nalęciorum gente oriundus, in Regno Poloniæ omnes honorum & munerum publicorum gloriosè confecit gradus. REGE SIGISMVNDO Tertio, primùm Secretarius, dein vtriusq; Cancellariæ Regens fuit. post Sigismundi decessum, à VLADISLAO

quarto in Secretarium Regni Maiorem adlectus, statimq; ad FERDINANDVM Imperatorem II. ablegatus, armorum ferale inter Christianos Principes odium, conciliatis Regum animis sedare adlaborauit. quâ perfunctus legatione, in castris ad Smolenscum, & in Prussicâ expeditione contra Suecos ad latus VLADISLAI REGIS, comes perpetuus & consiliarius adfuit: vbi & pace cum hostibus conclusâ, Procancellariatum Regni, & Præmisliensem Episcopam, fidissimi erga Principem obsequij præmium, reportauit. Tunc & ABBATIÆ TINECENSIS procurationem prouentusq obtinuit, quos integro biennio, per suos administros, absens ipse toto interea tempore, ex re suâ & commodo, collegit & aggregauit. Post obitum verò Thomæ Zamoscij viri illustrissimi, Supremus Cancellarius Regni, ac tandem Episcopus Cracouiensis creatus, partâ apud omnes ingenti sibi gloriâ, liberatâ submontanæ rebellionis periculo patriâ, templo Cathedrali arâ maiori exornato, Diæcesi bonis legibus excultâ, sub tempus Sueticæ in Poloniam irruptionis, Ratiboriæ Anno 1659. vitæ finem accepit. In administratione TINECENSI biennio præfuit. In eius gentilitiam Fasciam, & Tinecensis Monasterij petrosum situm, carmen.

Hanc super, erecta & quæ sunt altaria Diuûm
Petram, habuit PETRVS *nomine* GEMBICIVS
Felicem vittam, vitam mortalibus ægris
Quæ inspirare potest, mitibus auspicijs.



IOAN-

IOANNES CAROLVS KONOPACKI,

Commendatarius VI. ABBAS LXIV.

IOANNES CAROLVS Comes à Konopat KONOPACKI, omnes illas virtutes, quibus illuſtriſſimi ſui Maiores Comites à Konopat, non in Regno ſolum Polono, ſed in toto Chriſtiano orbe, glorioſè floruerunt, veluti debitum certum & liquidum, abs ſe ipſo ſolebat exigere. Elucebat in eo NICOLAI ac GEORGII, aui & tritaui, in conſilijs dandis prudentia atq; auctoritas; elucebat MATTHIÆ Patris, & Abaui eiuſdem virtutis & nominis, morum & honorum hæreditaria poſſeſſio, quam & in Palatinatu, & in Epiſcopatu Culmenſi, ſimili exitu probauerunt. Inerat illi præterea, incredibilis in litteras propenſio, magnarumq; Scientiarum cognitio tanta, vt in omnibus tam luculenter excelluerit, quibus ſingulis, totum vitæ curſum impendere, perquam operoſum eſſe, etiam laborioſiſſimi viri iudicarunt. Promptum enim & docile nactus erat Diuinâ benignitate ingenium, quod tamen impensè & anxiè in nobiliſſimis Academijs omni genere Artium excoluit. Porrò peregrinationes non ad luxurioſam curioſitatis nundinationē ſed ad augendam induſtriam, ſuſcepit: linguas verò Europæas, non ſolùm ad vſum, ſed etiam ad excellentiam didicit; vt in omnibus non diſertus tantum interpres, verùm etiam eloquens haberetur Orator. Quid dicam de effuſâ liberalitate, quam in literatos viros exprompſit, quos non ſolùm in familiam ſuam, ſed etiam in intimos animi receſſus admittere ſolebat. Loquuntur illius magnificentiam, Doctorum virorum quæ ſparſa ſunt in vulgus encomia clariſſima; deprædicant pietatem, Religioſorum virorum aſceteria ſanctiſſima; celebrant beneficentiam, collegia ſacer-

dotum frequentissima; quæ ille heroicâ magnificentiâ dotauit, impensis honorificis adauxit, Maiorumq; suorum gloriam felici imitatione propagauit. Verum TINECENSI Cænobio aduersans fortuna eam felicitatem inuidit, quando KONOPATCIVS pro suis amplissimis in republica promeritis, TINECENSIS ABBATIÆ primùm auctus redditibus, ipso in limine beneficiorum, quibus suæ curæ Tinecenses commissos, cumulare decreuerat, semestri inter eos solummodo exacto spatio, decretoriam mortis accepit sententiam: nam VII. Kal. Quinctilis cum plausu omnium Tineciam deueniens, insequenti festo Principum Apostolorum, Sacrosancta Missarum solennia publicè celebrauit, casulamq; culti operis, in qua sacris operatus est, arram suæ propensionis primam, TINECIÆ est elargitus. Nulla postmodum, per hos sex menses, intercessit dies, quâ, vel sua præsentiâ in communi refectorij mensâ non recrearet fratres; vel ad Abbatiale triclinium aliquos non vocaret, vbi magna semper beneuolentiæ suæ exhibuit argumenta. Multa certè amplissimus Heros, & egregia moliebatur consilia, quibus Ordinem BENEDICTINVM in hoc Sarmatico solo antiquitate defessum subleuare, & TINECENSES ascetas, in ora Varmiensi nouiter implantare, statuerat. Verum hæc eo disponente, & ad capessendam Episcopam Varmiensem, paulo ante sibi delatam, ingressum adornante, cum solennis Octauæ immaculatè conceptæ Virginis Matris ferias, singulari cum deuotionis affectu, & sensu interioris lætitiæ, perdius inter gelidas brumæ sæuientis auras, in templo continuo ageret, & Nouem Dies ante Natalem CHRISTI Solennibus Antiphonis ab Ecclesia notatos, ex vsu aliarum Prouinciarum Concionibus, Officijsq; alijs Diuinis celebraret, ardenti febre correptus, intra septem dies, extinctus est TINECIÆ, horâ antelucanâ tertiâ, die planè eò quo ei *Breue VRBANI VIII. Pontificis* ad Varmiensem Episcopatum consequendum Româ allatum fuit. Fuit tamen singulare DEI hoc beneficium, quod cum tam graui morbo affligeretur, vt simul & cum fatali clymacterico anno, quē attigerat 63. cumq; febre ardentissimâ atq; lientericâ leuitate intestinorū colluctaretur, seq; iam regere, neq; è lectulo erigere posset, tamen cum aduenisset tempus Sacratissimæ Eucharistiæ sumendæ, subitò vires diuinitus certè recuperauit, è lecto surrexit, vestes sumpsit, sacram
sina-

finaxim supplex adorauit, & in hospitium cordis sui deuotissimè suscepit. eoq; genere mortis, ex hac vitâ discessit, quo suus olim antecessor, STANISLAVS HOSIVS Episcopus Varmiensis, S. R. E. Cardinalis, ad immortalitatem emigrauit. Et ille quidem ex hoc Eurippo curarum mortalium, ad illam quietem translatus est, quâ Beatæ mentes æternùm perfruuntur; sed nobis tamen, grauissimum mærorem, tristeq; sui desiderium reliquit. Dolebant tum, non magis dominum, quam patrem, lugebantq; domestici, quos singularibus beneficijs fouebat, & exemplo pietatis ad imitationem incitabat. Dolebant patronum viri quiq; docti, quos præmijs singularibus erigebat, multosq; in meliori fortunæ Theatro collocare destinabat. Dolebant diuersi Religiosorum Ordines, quos eximiâ humanitate & liberalitate, vsq; ad vltima tempora vitæ, continuò prosequebatur. Sed cum multis ille flebilis occidisset, nulli flebilior quam Tinecensibus, quos vnicè diligebat, & quàm habuerit carissimos, non solum literis amænissimis, sed etiam sacris ornamentis eisdem collatis, breui regiminis tempore, abundè comprobauit. Quem indubitatò eximia pietas cælo reposuit, & ad immortalitatem prouexit perennem; in qua manet securitas sine metu, voluptas sine fastidio, sine fine æternitas, quam iste Antistes integerrimus, vt quidem piè credimus, propter merita in Ecclesiam, patriam, & Principem fidelissima & amplissima, atq; ob eas virtutes quibus Diuina indulget fauetq; benignitas, est consecutus. Corpus eius in medio Odei TINECENSIS, in magno Regni Procerum numero & præsentia, post longas elogiorum eius & meritorum enarrationes, honorificè conditum, piè in Domino requiescit. Obijt XI. Kal: Ian: Anno 1643. In Mænia eius, quæ stemmate hæreditario præfert, Epigramma.

Omnibus humanus, clemens, sapiensq; fuisti
Magne Comes vitâ, moribus, ingenio.
Hunc tibi non Virgo struxit Tritonia murum
Sed pietas, candor, relligio, alma fides

ANDREAS LESZCZYNSKI,
Commendatarius VII.
ABBAS LXV.

PAstores populorum à DEO non ſolum dari, ſed etiam ſingulari quadam curâ & cæleſti benignitate nutriri, prudens cenſuit antiquitas. Sed neque ſolum, diuinæ nutricationis illis præſtari gratiam verùm etiam, à primo naſcendi initio, per bonam indolem & naturam ante alios laudabilem, inſtillari quaſdam virtutum inchoationes & ſemina, quibus ad communem vtilitatem maturiſſimè adoleſcant. Jd quidem non ſine magna ratione, ita oportere fieri arbitrati ſunt? quod enim futurum eſt cum ætate magnum, magnis quoq; conſurgere debet incrementis: ſicut in molem operi profecturo, non parua à peritis architectonicæ viris, fundamenta & baſes ſubſtruuntur. In LESCZYNIO tàm benigna & auſpicata à prima ſtatim ætate eluxit indoles, vt non modica, magnarum a ſeipſo ſuſcipiendarum cum ætatis progreſſu, dederit indicia profectionum. Qui heroicarum virtutum à DEO ſibi inſita ſemina, ſuſcepto ab adoleſcentia ſtudio & continua exercitatione, aluit; Scientiarum optimarum diſciplinis, per florentiſſima Jtaliæ gymnaſia, quæſitis, propagauit; & ad ſummum Honoris faſtigium, principemq; in republica dignitatem, exemplo & imitatione, VLADISLAI à Leſzno Supremi Cancellarij Regni, patris ſui, fortunatè produxit. Diuerſos verò honorum gradus, cum oblatos modeſtè ſuſciperet, & ſuſceptos prudenter adminiſtraret, ex adminiſtratis autem plauſus & approbationes ordinum Regni, mereretur; cum Epiſcopatu Camenecenſi, TINECENSIS Cœnobij Adminiſtrationem poſſedit. Vbi ſuperiorum ABBATIæ eiuſdem Adminiſtratorum, præſtantiſſimos æmulari conatus, ad promouenda, & ſarta

& sarta tecta templi, & Monasterij ædificiâ conseruanda, certa prædia ABBATIALIA, huic muneri addixit, destinauitque; suamq; in reliquis erga Conuentum beneuoli animi significationem, sæpius comprobauit. Nec dubium erat, quin rationes TINECENSIVM amplificasset si longiorem moram apud eos fecisset. Verùm, biennio solùm in TINECENSI administratione exacto, Procancellariatu Regni & Culmensi Episcopatu adauctus, dimisit TINECIAM. Ad quem postmodum, CASIMIRVS REX, post obtenta Regni gubernacula, supremam legum custodiam, & Magnum Cancellariatum detulit. In quo officio LESCZYNIVS, Regis gratiâ vsus prosperè, ab eodem Gnesnensem Archiepiscopatum accepit, & tandem vitæ finem sensit, anno 1659. TINECIÆ præfuit annis duobus, videlicet anno 1644. & anno 1645.

Eloquio, meritisq; potens, LESCZYNIVS *auxit,*
Mœnia Cœnobij munere magnifico.
Officio verè Pater, humanissimus ille est
Quem solidi lapides, munificum esse probant.



STANISLAVS PSTROKONSKI, Commendatarius VIII. ABBAS LXVI.



EX illustri Buzeniorum domo ortus, Maiores suos suis virtutibus euocauit de busto, & imagines manesq; auorum in laudem animauit. A primâ iuuentâ honestissimis literarum studijs imbutus, in patrui sui MATTHIÆ PSTRO-

CONII, Vladislauiensis Episcopi disciplinâ, plurimùm profecit. Dein ad exteras missus terras, ingenium quod solers & acutũ sorte nascendi ei obuenerat, egregiâ inter exteros velitatione, singulariter exacuit, & idiomatibus vicinorũ perceptis, redux in patriam Principi VLADISLAO, & aulæ regiæ, aliquanto tempore egregiè comprobauit. Verùm STANISLAVS, in illâ aulicorum facilitate ac licentiâ, modestissimè se gerens, & religiosam frugalitatem ac continentiam potius, quàm mundi blandicias aulæq; lenocinia sectans, perfectionis desiderio, institutum Societatis Iesu expetijt; ad quod admissus, in eiusq; institutione præclarâ persistens, egregios solidæ pietatis & doctrinæ progressus, in breui acquisiuit. Jamq; à susceptâ religione pluribus annis inter sodales degens, nihil, æquè in votis habebat, quam latere & nesciri; verùm ipsius insignis vitæ probitas, & doctrinæ præstantia, à multis perspectæ ac collaudatæ, rursus eum VLADISLAI REGIS obsequijs implicuerunt. Qui PSTROKONIVM olim inter ephæbos adolescentem regios, ab egregiâ compositione morum sibi commendatum, & in paucis carum habebat, eundem iam magni nominis Theologum factum, quàm proximum sibi, & à sacris confessionibus Patrem, conscientiæq; consultum habere exoptabât. Neq; PSTROCONIVS, pro insitâ sibi in Principem sui peramantem obseruantiâ, seruitium suum tametsi arduum at multùm honorificum, requirenti VLADISLAO, non obsequendum putauit. Cæterum Rex, ne tantus vir, religiosæ interuentu obedientiæ, â suâ consuetudine quandoq; diuelleretur, Regiâ authoritate perfecit, vt PSTROCONIVS ad fasces Pontificios à se destinatus, ab imperio Societatis in toto absolueretur. Itaq; candidatum Senatorij Ordinis, Plocensis Præpositura excepit, ex quâ ad Chelmensem infulam fecit gressum, per grata videlicet Principi obsequia sua, & merita, iter faciens, ad tam altos honores; à quibus ambiri longè gloriosius putauit, quàm ambire, soliusq; honesti cupidus fænerator, eo ad rempublicam consilio accessit, quo à magnis Maiorum suorum nominibus, non recederet. Cumq; REX VLADISLAVS, pro mensurâ regiæ liberalitatis suæ, magnis honorum & bonorum accessionibus arbitrum conscientiæ suæ cumulare, in animo fixum haberet; quamprimùm LESCZYNIVS, TINECENSI gubernationi nuntium remisit, REX PSTROCONIO eandem tenendam,

dam, tuendamq; commisit. In cuius possessionem PSTROCONIVS admissus, administrationem suam ab vniuersali totius congregationis TINECENSIS visitatione auspicatur; quâ peractâ, Capitulum habuit, corrigendis nonnullis vsibus, quos inutiles inter visitandum in cætu Monachorum repererat, apprimè consentaneum. Domus TINECENSIS, eo Rectore, multis ac nobilibus ædificijs enituit. Templum arâ maximâ eleganti, aureisq; ornamentis conspiciendâ, & tabulis egregij artificis manu depictis, nobilitatum. Sacrario adiectus calix aureus, quem PSTROCONIVS ex auro quidem MONASTERII ante conflato, sed exquisitâ admirabiliq; arte de nouo elaboratum, & multis aureis auctum, expensis suis TINECIÆ procurauit. Constat etiam, eundem sacras vestes contulisse, & alia quædam in Cænobio fieri præcepisse, quæ hodieq; ibidem conspicimus. De cætero, PSTROCONII regimen apud TINECENSES, duo maximè dolendi casus, acerbum reddidêre. Iussu regio, apprehenderat PSTROCONIVS TINECENSIVM administrationem, non expedito Breui Romano, cumq; in creditâ sibi domo, Monasticæ disciplinæ bono, & subditorum profectu, nec non rei familiaris curiosâ inspectione, perquam anxiè & solicitè omnia lustraret, & vsitata aliter ordinaret, aliqui ex alumnis initâ defectione Romam contenderant; hinc plurimi conatus inanes adhibiti vtrisq;, cum ingenti peculij damno, & iacturâ boni nominis, & gratæ tranquillitatis. Aliud funestum malum, eo Præside, calamitosæ TINECIÆ, pariter & vniuersæ euenit Poloniæ, dum ab vnâ parte Regni, Cosacorum seditionis flamma, sanguinarijs Scytharum telis obarmata; ab alterâ Moschi rabiosus populus & fædifraga arma; à reliquis lateribus, Suecorum irruptio, & Rakocianæ phalanges, miseram opplessent & inuasissent Poloniam: tunc vniuersali incendio, vti omnium fortunæ sunt euersæ, sic & TINECIA, ab nefarijs grassatoribus expilata, flamma & ferro excisa, ab incolis extitit derelicta. Demigrârant fratrum alij alio, PSTROCONIVS administrator in Vngariam secesserat; vbi duos prope agentem annos, mors præualidè aggressa, xv. Kal: Iulij, Anno 1657: annis maturum, non incautum, sed in ipso exitu, piè diuinæ voluntati obsequentem intercepit. In administratione ABBATIÆ TINECENSIS, permansit annos duodecim. In Rosam eius stemmaticâ allusio.

Squalorem veteremq; situm PSTROKONIVS *alto*
Altari abrasit iussit & esse nouum.
Aurea vasa dedit, calices reparauit ab auro
Qui Roseus fuit, en aureus esse volet.



MATTHIAS PONIATOWSKI, Commendatarius IX. ABBAS LXVII.



QVod olim Plato in partem felicitatis prudenter numerabat, *Rectè sapere:* felices ac beatos prædicare solitus, quibus in vltimâ etiam senectute illud contigisset: hoc ipsum PANIATOVIO à primâ ætate diuinitùs concessum, in omni vitâ perpetuum fuit ac stabile. Verùm, sacratiore & veriore religione imbuti homines, PONIATOVII felicitatem, non inde potissimum metiuntur, quod optimè senserit, sed quod ea ipsa, quæ DEO authore mature dici cerat, opere ac vita complexus sit; nullamq; ætatis partem, perfectæ virtutis actionibus officijsq; expertem, traduxerit. Ex nobili & vetusta, in Tetrarchia Siradiensi PONIATOVIORVM familia natus, ab egregia animi indole, multo etiam nobilior: ludicris puerorum studijs, subductum infantiæ tempus, serio literarum cultui seposuit. Inde, vnâ cum annis, prudentiæ quoq; adolescente progressu, legum patriarum cognitioni & peritiæ, studium operamq; nauauit. Mox generosis incitamentis ad heroica facta impellenti se DEO, & voluntati inclinanti propriæ, viamq; ad militarem palæstram, Nobilitati Polonæ consuetam exercitationem, præmonstranti, prom-

promptissimo animo est obsecutus. Hinc contra Moschum tumultuantem, & in prouincias atq; arces iuris Polonorum, infestis signis influentem, SIGISMVNDVM Tertium Regem Poloniæ, ad bellum proficiscentem, comitatus, grauioribus pro patria, & Regia Maiestate periculis, pectus suum offerre, & vel oppositu laterum suorum, si quid sacro intenderetur discriminis capiti, auertere non formidauit. Ab obitu verò SIGISMVNDI Regis, cum nouam fortunam fædifragus Moschus tentare ausus esset, & quà armis, quà exterorum præsidijs instructissimus, Smolensci deditionem vrgeret, vim & machinas vrbi & castro admoueret, VLADISLAVS quartus inter paucos fortunatissimus Regum, ne qua nomini Polono inureretur nota, citato gradu, neq; adeò magno (vt temporis arcta ferebat necessitas) comitatu, ad coercendam & castigandam hostis perfidiam abijt; quem secutus alacriter PANIATOVIVS, omnia armorum & periculorum incommoda, tam diu sustinuit, quamdiu contra hostem est dimicatum. Fuit verò illud præ cæteris, in PONIATOVIO eximium magnanimitatis experimentum, in hostico solo, alieno tempore, hieme summa, inimico & tempestuoso cælo, ad omnem àëris inclementiam obdurari, ventis & imbribus obluctari, extra teli iactum non esse, flammantes ab hostibus supernè immissos expectare globos, & in horas de vita & capite decertare. Hæc tamen tam grauia, tam formidanda, hostis, cæli, atq; soli incommoda, vicit & perfregit; vt vitâ etiam & sanguine, pro salute patriæ velle se litare, clarissimè demonstrarit. Proinde, stetisse tum pro nobis belli fortunam: contra hostem, etiam de cælo fuisse dimicatum, castra eorum, armis, commeatu, milite instructissima, inusitatâ formidine compleri; admiratus esset: viditq; extractos è suis cauernis, illos olim Gyganteo fastu inflatos Sehinos, cùm signis suis ad pedes Victoris Regis abiectos, libertatem & vitam, lacrymis obortis, sublatis in cælum manibus, flagitare. Pacatis autem rebus Smolensci, cum aliquid respirandum esset, rursùm in Prussiam, ad furorem Sueci sedandum, VLADISLAVM itidem secutus, eadem insuperabilis animi exhibuit documenta: nihilq; planè accidisse poterat, vel in opere arduum, vel in bellis acerbum, quo non se promptè & hilariter, PONIATOVIVS pro salute carissimæ patriæ impenderet. Hac eundem viâ, magnisq;

R2 itine-

itineribus ad immortalitatem, & ad decus nomini suo parandum contendentem, diuinæ bonitatis impulsus, aliò perduxit: ætate iam ac deuotione maturior, multis annis sonoras inter buccinas apud castra traductis, seruatâ tamen semper ab omni alienarum rerum cupiditate, innocentiâ animi, de repentè sagum militare, Clericali permutauit toga: ac deinceps Cracouiensi Antistiti, PETRO GEMBICIO adhæsit, à quo ob eius virtutis famam, & præclaros pro republica susceptos labores, tum ob sanguinis coniunctionem, summo in honore est habitus. Hinc Decanatum Cracouiensem, vacantem tum per cessum fratris sui, eidem PONIATOVIO PETRVS contulit, & apud PSTROCONIVM ABBATIÆ TINECENSIS Administratorem, effecit, quod PONIATOVIVS, ab eo in Coadiutorem ABBATIÆ sit assumptus. Ac tandem CASIMIRVS Rex, sub tempus Sueticæ irruptionis, benè cognitâ erga se MATTHIÆ PONIATOVII fide & obseruantiâ, eundem Regentem Cancellariæ esse iussit, quo eum suis vsibus, reipublicæ commodis proxiniorem haberet; neq; multò post, Referendarium Regni fecit, videndo hominem ad omnes ciuiles actiones idoneum, & omni honore dignissimum iudicando. Quod ille munus vti honorificum, ita multis difficultatibus semper implicatum, ea fide, diligentia & solicitudine exercuit, vt nec labor, nec vigilantia, nec fidelitas maior, ab eo requirerentur vnquam. Ille solus nonnunquam res varias, & cum recenti bellorum turbine, distractas sustinebat, ille responsa, communes rationes, & publica negotia, eâ facilitate ingenij & iudicij grauitate, expediebat, vt ab omnibus vir optimus, & iustitiæ obseruantissimus, haberetur, neq; ad tantam actionum molem deportandam, vnius viri vires, atq; opes animi in se continere, à multis crederetur. Et PONIATOVIVS quidem, taliter in castris reipublicæ, in aula Regia, & in officijs regni versabatur, hæcq; erat actionum eius forma & modus viuendi. Cæterum in administratione TINECENSIS ABBATIÆ quæ egerit, vel quæ agenda cogitauerit, paucis attingere libet. De obitu apud Vngaros PSTROCONII vbi cognouit, adscitum se olim ab eo in Coadiutorem cum futurâ successione ad præfecturam eandem agnoscens, sui muneris partes esse reputauit, vt monastico regimini manus admoueret. Quare Pastorem se, ac ducem Religiosorum circumspiciens, ad onus

ad onus profectò laboriosissimum, & ad vitam superiore multo perfectiorem, non verò ad animi remissionem ac delicias, vel certè ad solos prouentus demetendos, vocatum se intellexit: tum quoq; omnes ingenij atq; industriæ neruos, in procuranda sui gregis salute & commodis, intendit. Ac quoniam Rectoris innocentia, atq; integritas, continendis in officio subditis, reuocandisue ad sobrietatem ac temperantiam, conducit plurimum: eximiæ probitatis opinionem (quà priuatæ vitæ integritate, TINECENSIVM animos imbuerat) clarioribus virtutum exemplis, maiorem in modum stabiliuit. Ergo, animi ac morum candore singulari, eximia pietate, charitate benignissima præditus, omnes sui muneris partes ac numeros insigniter expleuit. Religiosos omnes, atq; Dominij Tinecensis subditos & clientes, (quos filiorum loco paternâ beneuolentiâ complectebatur) humanitate, patrocinio, liberalitate perpetuo erexit ac fouit. Ac inter publicas functiones & curas, officij quod Monasticis rebus, virisq; debebat, retinentissimus fuit, accuratiq; claustralium Moderatoris vigilantiam, cum perfecti Consiliarij regij, solicitudine ac integritate, ad mortem vsq; indefesso studio copulauit: re ipsâ testatus, quantopere obligationis suæ non immemor fuerit, & quam arduam & difficilem rem, regere animas Monasticam religionem professas, æstimauerit, quarum commodis & vsibus, vel inter assiduas grauissimi muneris occupationes, seruire non intermisit. Quo grauius ac damnabilius, delinquere quosdam administratores appareat, qui suscepti regiminis onus, nullius præterea publicæ procurationis laboribus impediti, remissè oscitanterq; curant, vel (quod adhuc dolendum magis) solis temporalium fructibus intenti, spiritualium nullam curam habent, neq; animas asse pluris faciunt, neq; DEO Iudici, rationem quampiam de concredita sibi familia, aliquando reddendam esse, suspicantur. PONIATOVIVS triennali spatio, quo TINECENSEM domum est moderatus, accuratâ legum Monachicarum custodiâ & ad mores s[illegible] dal[illegible] um prudenti inspectione, Prælati vigilantis officium impleuit; bene icentiam autem in eo comprobauit, dum rem familiarem p[illegible] r S[illegible] ecos euersam, restituit & auxit, ædificia Arcis, hostili sublata gne in parte curauit, subditos ABBATIALIS iuris, in publicis exa[illegible]tionibus & militaribus

statiuis, ære proprio iuuit; & præter hæc, multa ille TINECIÆ facere proposuerat, si fata permisissent. Quem annis iuxta ac laboribus fessum, occulta primo febricula pertentauit dies aliquot, ex quâ, viribus destitui se aduertens, postquam vltimæ voluntatis suæ optata consignauit proposita, in supremo spiritu constitutus, memor commendati sibi TINECENSIS domicilij, eiusdem sodalibus, quartam partem fructuum ad se iure pertinentem ipso, contulit vltroneè: & dato vltimo mæstis adstantibus vale, pie in Domino decessit, Decimo sexto Kalendas Martij, anno à CHRISTO nato, 1660. Cum tres solùm annos TINECIæ præfuisset. Jn Sreniauam cruce signatam, familiæ PONIATOVIORVM tesserã, votiuum carmen, viuenti adhuc, & primo anno regiminis, subeunti porticum Cænobij, à religiosâ communitate acclamatum dictumque,

Aureus æthereis fluuius delabitur oris
Cruxq; salutares emicat inter aquas.
Aurea iam nobis cum flumine secula current
Deq; crucis signo defluet ipsa salus.



HIERONYMVS LVBOMIRSKI,
Commendatarius X.
ABBAS LXIIX.



GEneris LVBOMIRSCIANI claritatem, qui perspectam non habeant, puto non multos in Polonia reperiri: eò minus laborandum mihi, vt Illustrissimæ Familiæ totam ab stirpe seriem repetam, & clarissimo rerum ab eâ gestarum soli, faces adij-

ces adijcere contendam. Quod tantùm ad HIERONYMI, Prælati TINECENSIS res pernoſcendas neceſſarium videtur, hîc memorabo. GEORGIVM SEBASTIANVM Comitem in Wiſnicz & Iaroslavv, LVBOMIRSKI, Sacri Rom: Imp: Principem, Supremum Regni Poloniæ Mareſchalcum, & Exercituum Generalem Campi Ducem, Generalem Minoris Poloniæ, Cracouienſem Chmielnicenſem, Niſinenſem, Pereſlauienſem, Caſimirienſem, & Olſtinenſem Præfectum, HIERONYMVS Patrem habuit, Heroem nomine, virtute, & exemplo maximum: Matrem verò Ligezanam ex illuſtri pariter & antiquâ familiâ progenitam, fœminam illius æui facile principem. Eâ itaque natalium ſorte donatus, cum ad eos ætatis annos, qui primarum literarum capaces exiſtunt, perueniſſet, priuato aliquamdiu magiſterio inſtitutus domi, publicis poſtea Scholis eſt adhibitus: emenſiſque pro dignitate rei, & bonitate ingenij, literarum politiorum ſtudijs, Præceptorum ſolicitudinem, in ſe, vel literis vel probis moribus informando, induſtriâ ac indole propriâ ſuperauit. Cuius ingenio velificando ſapientiſſimus Pater, adiunctis eo nomine grauibus viris, ad exteras eundem Nationes ſplendidè expediuit. vbi is, magnorum Virorum conſuetudine vtens, tantùm moribus linguiſque peregrinis, detulit, vt ſtudia politiorum literarum, magno animo, fructuq; non diſpari proſecutus ſit: ex quibus eam ſacræ eruditionis copiam congeſſit, quæ longæuam deinceps vitam eius inſigniter exornare, & complurium Reipublicæ commoditatum, eſſe poſſit inſtrumentum. Jam verò, anno CHRISTI 1660, fatis prærepto PONIATOVIO TINECENSIS Monaſterij adminiſtratore, TINECENSE regimen, Sereniſſimo Rege inſtante, & Pontifice annuente, HIERONYMO eſt commendatum. Quem ſublimem delatum ei in ipſo ætatis flore honorem, ſincerâ animorum noſtrorum conſenſione gratulamur, eamq; ſpem boni ſucceſſus habemus, quod munus in ſe receptum, cum dignitate Ordinis BENEDICTINI, & fructu TINECENSIVM ſit adminiſtraturus, ac expectationi de ſe conceptæ ſatisfacturus. Quod profectò videtur polliceri, ſtirpis illius ſenatoriæ læta indoles, & animus ad magna natus, educatio accurata, bonitas ingenij, moresque placidiſſimi. quin hoc ipſum iam debemus fateri omnes, qui cum nouimus intimius, talem illum ad gubernandum TINECENSE Monaſte-

Monaſterium attuliſſe animum, iudicium, authoritatemque, vt nullum ei Eccleſiaſticæ vitæ ornamentum, diuino aſpirante fauore, breui defuturum, merito ſperare poſſimus.

Ad ſublime vocat te, ſanguine ductus auito,
Magnus Aui ſplendor, magnus honoſque Patris.
Vindice te, noſtris ſpes imminet optima rebus,
Nam patriæ vindex te Domus alta tulit.

Laudemus Viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſuâ Eccl: 44.



HISTO-

HISTORIÆ MONASTERII TINECENSIS

LIBER II.

In quo,

SCRIPTVRÆ,

Priuilegia, & dispositionum variarum in MONASTERIO TINECENSI factarum Notæ, Instrumenta, & Tabulæ, ex Archiuo eiusdem desumptæ, continentur.

PRÆFATIO.

BVLLÆ Summorum Pontificum, Regum Diplomata, Conciliorum Decreta, Tabulæ Principum Virorum, & vetera monimenta literaria, sunt documenta & indicia præteriti æui, illiusq; antiquitatis superatæ certa vestigia, ex quibus vsum moremq; priscum fas est cuiq; faciliter coniecturare. Ad declarandam itaq; MONASTERII TINECENSIS, siue nobilem illam & excellentem gloriam, siue notabilem & variam mutationem, quam frequens temporum alteratio inuexit; ex Archiuo Vetusto eiusdem Domûs, quasdam Chartas, è tenebris ad lumen reuoco, bonâ fide desumptas, vt ex ijs luculenter prudens aduertat lector, quales successus TINECENSIS MONASTERII fuerint, quibusue momentis & dispendijs, ab illo prioris dignitatis & eminentiæ fastigio declinârit, & quàm crebrò sors versabilis in rebus eius permutandis luserit. Hoc verò Historiæ, cuiuscunq; officium proprium esse intelligo, vt rerum gestarum memoriam referat, exitus actionum & causas proponat, sitq; testis temporum, vitæ memoria, magistra veritatis. Quod totum liquidò ex subiectis Chartis colligere, de TINECENSI MONASTERIO quicunq; poterit; vbi quis status retroactis temporibus loci eiusdem fuerit, quid ætas parentum parturiuerit, quantas subierit TINECIA immutationes vel certè imminutiones, sexcentorum annorum interuallo, quibus Numinis beneficio à prima sui origine perstat, ex inspectione membranarum istarum luculenter habetur.



SCRI-



SCRIPTVRA I.

SVMMARIVM.

Anno 1105.

ÆGIDIVS TVSCVLANVS EPISCOPVS, Calixti II. PP. per Poloniam Legatus.

1. *Assentiente* BOLESLAO KRYVOVSTO *Duce Poloniæ & Radosto Episcopo Cracouiensi, Monasterio Tinecensi confirmat omnes tenutas & census.*
2. *Duodecim marcas argenti, pro pœna Homicidij facti à subditis soluendas Monasterio statuit.*
3. *Villas 42. cum suis hominibus, & consuetis laboribus recenset.*
4. *In furto deprehensos, debere tres vrnas mellis Monasterio pro pœna dare, decernit.*
5. *Tinecense Monast: esse omnino liberum docet, cuius Iurium inuasores, ingressu Ecclesiæ arcet.*

Ex Archiuio Tinecensi, Armariolo sub litera A. *num:* 2.



IN nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Omnes fideles Christianos, qui DEI & proximi dilectionem habere noscuntur, Sanctam ac Venerabilem Christi Ecclesiam, fideli reuerentiâ condecet augere, & Monasteriorum quieti, summâ cum deuotione, tam in temporalibus quàm in spiritualibus prouidere. Ne Religiosorum virorum quies, aliquâ interueniente controuersiâ disturbata, æternæ dulcedinis suauitatem degustare, & sanctæ deuotioni, (pro vt saluti eorum expedit) insistere nequeant. Qua propter ego ÆGIDIVS Tusculanus Episcopus, S. R Ecclesiæ Cardinalis & D. Calixti PP. per Vngariam & Poloniam Legatus, Sanctæ Tinecensi Ecclesiæ, [consentiente Gloriosissimo Polonorum Duce Boleslao, & filio Vladislao, & Episcopo Cracouiensi Radosto,] quicquid eadem Ecclesia, in prædijs, & foris, & tabernis, & macellis, & quod Polonico more, *pomocne* dicitur, siue omnem censum quali vel quocunq; modo vulgariter nuncupetur; 2. & Duodecim marcas argenti pro occiso homine soluendas, si in-

 ter ho-

ter homines Ecclesiæ Tinecensis (quod absit) euenerit: quæ omnia eidem Ecclesiæ, à VLADISLAO REGE, & IVDITHÂ REGINÂ concessa esse, præfatus Dux testabatur, & à se, & ab omnibus auis, proauisq; suis reuerenter custodita, Apostolicâ Authoritate, Decretali concessione firmamus, quicquid habet & tenet, vel futuro tempore iustè acquisierit. 3. Id est *Tinecensem* villam, cum transitu nauali, & vna taberna, secundâ vltra fluuium, cum voto Ducis, Duodecim marcarum argenti, & tribus poledris, singulis annis & omnibus ministris, [Curiæ Regis competentibus cum omni castellatura] ab omnium impedimento defensis, tam pistoribus, lagenarijs, quam cocis & camerarijs, piscatoribus, & pecorarijs, & omni consistentia, munitis. Villam *Lantiki* cum adscripticijs. Villam *Kassow* cum adscripticijs. Villam *Czulow* cum smardonibus; sub vna circuitione *Woycowo* cum piscatoribus, Niniec, Priuit artifex lagenarum & doliorum. *Pradnik* cum vna taberna, cuius hæredes Mars & Ratey tres scotos soluentes: quæ villæ ab omni sunt pensione Ducis immunes. Duo macella in Cracouia. In *Sidzina* quatuor surouice, & duæ tabernæ, & zamar, de vna quaq; sartagine & dedina. *Horowice* Villa. *Radziejszow* Villa cum mellificio & venatione. In *Bitom* targovve, duæ tabernæ. In *Siewior* nouum targovve, vna taberna, vnum macellum, *Steklecz*, *Gruszow*. Ad *magnum salem*, quatuor targovve, & quatuor tabernæ, & petinæ & qualibet septimana tres alueos, & quartum sredne; & septem pro lignis. *Lapsica* & cum *Koianow* & sale & seruo Zulit, & fratribus eius. Regina Iuditha contulit Tinecensi Ecclesiæ *Xiegnice* cum taberna, & seruis Sokol & filijs eius, Nedamir, & Milu, Zylza. In *Dolány* camerarij Moris, Tuor, Petrus cognominatus Zrobadlo, Damian in littore Vislæ Camerarij *in Kargow*, Sulek pistor. In *Powozow*, Zera cum fratribus. *Tuchow* heredes Medvvet, Rzech, Mich, Woian. *Zdánouice* villa, Pozrogis, Misley, Brzestryk, Paleta. *Vnochowice* villa, Vnoch, Graza, Carbella, Zbos, Chorela. *Bezdechowice* villa, Vnik, Gostenta. *Swepetnice* villa, Novvomysl. *Chrochowice* villa, Grod, Warga, Zulod, Młodos, Wisetrop. *Siebnia* villa, Graza, Gnievvan. *Dtborzyn* villa, Reueza, Mloka, Dobrosta. *Similno* villa, Serokina, Negrod *Powezow* villa, Neguz, Wevvoz, Rodesa. *Ceciowice* villa, Gnievvoni, & Granzonis, Malchina, Vnemysl, Zdyvvi. *Tarnowek*, *Pilzno*, *Myslosowice*, Zdebudz, Neroda, Nedosa, Repoch. *Lube*. *Okulice*. *Fabry in Dunáiecz*, Dominæ Iudith homines, Radesa, Nemoy, Zduta, Radek. *Vnesice* villa, Zdymier, Drogota, Zydes, Lesteka, Tessota, Vsuzel. *Zobálice* villa, Miley, Stron, Bola. *Klececy* villa, Stroy, Pivvona, Krasika, Vnes, Krasek, Negan, Zglon. *Breslek* villa, Banc, Rados. Hi omnes homines, cum Villis in Kneznic pertinentes, Ecclesiæ Tinecensi tributum, & strozam, cum Pomocne, soluunt; Curiam sepiunt Dominorum suorum cum plantis, in longitudine octo vlnarum; Duas Domos quolibet anno faciunt quatuordecim vlnarum; quilibet ipsorum quinq; capetia metere, & ad horreum deducere, & quilibet quinq; currus feni falcare, & adducere singulis annis tenetur; currus in Tineciam ducere quoties-

quotiescunq; opus fuerit, Decimas triturare, & ad claustrum deducere, quolibet anno tenetur; quatuor diebus omni anno arare, & erpicare, vbi vicinior Curia fuerit; item de qualibet Curia quolibet anno, Vrna mellis, & quatuor asperioli, Monasterio supra dicto cedent de ipsis hominibus. 4. Et si quis ipsorum in furto deprehensus fuerit, tres vrnas mellis pro pœna soluet, si in pœna sex marcarum manserit, vrnam mellis soluet. Statio prima Abbati apud ipsos, Secunda Præposito, Tertia Tribuno, Quarta Tributario. Item, quicquid eisdem præcipitur, laborant. Opatovviec, quod REX BOLESLAVS, cum foro & taberna & transitu nauali, & voto Duodecim marcarum singulis annis, & duabus tabernis in Vislica, Ecclesiæ Tinecensi contulit, cum hominibus Rak, Chrost, Branto, Duran. Harum Villarum Decimas & omnium quæ à religiosis viris collatæ sunt, rogatu Ducis BOLESLAI, Radostus Episcopus eidem Ecclesiæ contulit. 5. Tinecense vero Cænobium omni modo liberum esse Apostolica Authoritate decernimus, saluo tamen honore & reuerentia Cracouiensis Ecclesiæ, ac Domini Radosti, suorumq; successorum: scilicet vt nullus Dux, Episcopus, Marchio, Comes, Vice Comes, nulla persona magna vel parua, Ecclesiam Tinecensem molestare, vel de prædijs & decimis Ecclesiæ aliquid subtrahere præsumat. Quisquis autem huius nostræ paginæ violator extiterit, vel de Ecclesiæ rebus, aliquo conamine quidpiam auferre voluerit, à liminibus Sanctæ Ecclesiæ, & omnium Christianorum fidelium consortio separatus, ac viuifico Corpore & Sanguine Domini Nostri IESV CHRISTI segregatus, iram omnipotentis DEI, & maledictionem Sanctorum omnium incurrat, & sit anathema, maranata, & cum Iuda traditore in die Iudicij portionem accipiat. Qui verò custodierit, & DEI Ecclesiam non molestauerit, benedictio quam promisit DEVS diligentibus se, in eum descendat, & cum fidelibus omnibus vitam æternam possideat. Amen. Acta sunt hæc, Anno Incarnationis Domini, Millesimo Centesimo Quinto, Indictione XIII. Epacta III. sub BOLESLAO Duce, in Ciuitate Cracouiensi, annuente ipso Duce & Episcopo Radosto, coram his testibus, Scarbimiro, Woyslao, Posligo, Andrea Sulek cum filio Martino, Brandota, Dungos.



SCRIPTVRA II.

SVMMARIVM.

Anno 1220. Mai, 11.

HONORIVS PP. III.

Tinecense Monasterium in Protectionem sedis Apostolicæ suscipit, & à benefactoribus collata ei bona, confirmat.

Habetur in Archiu: Tinec: sub litera C. *num: 2.*



ONORIVS Episcopus seruus seruorum DEI. Dilectis filijs Abbati & Conuentui Monasterij de Tincia, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia deuotos & humiles filios, ex assuetæ pietatis officio, propensius diligere consueuit, & ne prauorum hominum molestijs agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confouere. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus, grato concurrentes assensu, personas & Monasterium vestrum de Tincia, cum omnibus bonis quæ in præsenti tempore rationabiliter possidet, aut in futurum, iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, sub Beati PETRI & nostram protectionem suscipimus, specialiter autem prædia, & alia bona tam à Principibus, quàm ab alijs Christi fidelibus piâ vobis liberalitate concessa, sicut ea omnia iustè ac pacificè possidetis, vobis & per vos, eidem Monasterio authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum PETRI & PAVLI Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Viterbij, V. Idus Maij, Pontificatus nostri anno quarto.



SCRI-

SCRIPTVRA III.

SVMMARIVM.

Anno 1229. Maij, 26.

GREGORIVS. PP. IX.

1. *Monasterium Tinecense protectione Sedis Apostolicæ communit, vtq; in eo perpetuis temporibus institutum Regulæ* S. BENEDICTI *obseruetur, statuit.*
2. *Octoginta duas villas in specie enumerat, Census & Decimas ex diuersis oppidis & villis proprio nomine expressis recenset, Capellas Cænobio subiectas describit, naula, fora, tabernas, macella, Cænobio seruientia confirmat.*
3. *Decimas ex Noualibus in hereditate Cænobij consurgentes, eidem Cænobio transcribit.*
4. *Clericos & laicos, Tineciæ recipi poße in Monachos, docet.*
5. *Monachos Tinecenses sine licentia Abbatis alibi teneri non poße edicit.*
6. *Interdicto generali in Prouincia posito, Diuina celebrari poße Tineciæ, declarat.*
7. *Sepulturam cuiq; volenti liberam in Ecclesia Tinecensi concedit.*
8. *Abbatem Tinecensem, vnanimi Fratrum voto, secundùm Regulam* S. BENEDICTI *eligendum eße, & non aliter ordinat.*
9. *Gratias & libertates Ordini Benedictino, à Romanis Pontificibus concessas Tinecensi Monasterio communicat.*
10. *Iniquos bonorum Monasterij detentores, vel alios temerarios vexatores, tertiò commonitos si non desistant, vel ablata, non reddant, excommunicat.*

Habetur in Archiuo Tinec: sub lit: A. num: 1.



REGORIVS seruus seruorum DEI. Dilectis filijs LVTFRIDO Abbati Monasterij Tinecensis, fratribus tàm præsentibus quàm futuris, Regularem vitam professis, in perpetuam rei memoriam. Religiosam vitam eligentibus, Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium S. PETRI de Tincia, inquo Diuino estis mancipati obsequio, sub Beati PETRI & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. 1. Inprimis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundum DEVM & Beati BENEDICTI Regulam in eodem loco institutus

esse

eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Præterea, quaſcunq; poſſeſſiones, quæcunq; bona, idem Monaſterium impræſentiarum iuſtè ac canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs iuſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſq; ſucceſſoribus & illibata permaneant in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. 2. Locum ipſum in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentijs ſuis, & de Rutki, de Kaſſovv, de Culovv, de Woykovvo, de Prądnik, de Chorovvice, de Radeſſovv, de Steklec, de Gruſovv, de Lapczyca, de Kneznicy, de Podolan, de Cargovv, de Pouezovv, de Tuchovv, de Zdanovvice, de Vnechovvice, de Bezdechovvice, de Cvvepetnice, de Crochovvice, de Sebna, de Deboryn, de Smilno, de Povvocovvo de Cekouice, de Tarnovvo, de Pilzno, de Myslosovvice, de Lube, de Vkolice, de Dunaieſz, de Vneſice, de Cobalice, de Kledyti, de Breſtek, de Opatovvjec, de littore Vislæ camerariorum, de Biden, de Lantkovvice, de Bycyna, de Grodec, de Czundenka, de Luczany, de Stradovvo, & de Goreslauice, villas, cum Eccleſijs, hominibus, decimis, mellificijs, tabernis, venationibus, iuribus, piſcationibus, tributis, Stroza, pomocne, krovvne, & cum omnibus alijs pertinentijs earundem. Villas etiam de Dubrovvna, de Orechouo, de Skavva, de Czernichouo, de Wołovvice, de Ceteiouice, de Piſary, de Grodeſſovv, de wilkovvice, de Babice, de Villa antiqua, & de villa noua, de Opatkovvic ad magnum ſal, de Balice, de Suliſtreiouo, de Maceiouo, de Suetice, de Trudnouice, de Chruſtonouice, de Bozanovvo, de Podluze, de Grodina, de Petrkouice, de Vruty, de Petrkouo, de Igolomia, de Chmielinec, de Charuino, de Suliſlauice, & de Woycehouo, cum decimis & alijs pertinentijs omnibus earundem. Eccleſiam quoq; de magno ſale, & Cellam S. LAVRENTII ante Kaliſz, cum omnibus pertinentijs ſuis, & S. NICOLAI, & S. GEORGII Cracouiæ Capellas cum pertinentijs ſuis. Decimas villarum, de Orloua, Dubroua, Chodebandz, Serlicko, Wirzbica, Zabłocie, Sukouo, Oſtraua, Lancbaty & Golkouice; ac decimas de ſortibus in Kozle pertinentibus ad Caſtellaturam de Raciborz, circa Rybnik, quas Venerabilis frater noſter LAVRENTIVS Vratiſlauienſis Epiſcopus, de aſſenſu Capituli ſui, Monaſterio veſtro pia liberalitate conceſſit, prout in literis inde confectis plenius continetur. Decimam de Sucovv, & decimam duorum Mielec, annuum reditum duodecim marcarum argenti & trium poledrorum, à quodam BOLESLAO Duce Poloniæ vobis conceſſum; naualem tranſitum fluminis Viſlæ iuxta veſtrum Monaſterium, libertatem quam claræ memoriæ BOLESLAVS REX Poloniæ, & IVDITH REGINA vxor eius veſtri Monaſterij Fundatores conceſſerunt villis & hominibus veſtris: duo macella in Gracouia, reditus ſalis quos habetis in villis de Sidzina, & de magno ſale: duas tabernas & ius fori in Bytom; in Sievvior nouum forum, vnum macellum, & vnam tabernam in Lapczyca liberum forum & tabernam: vſum venandi in Wiſloka & Beſada Opatovva; forum inſuper, tabernam & tranſitum naualem in Opatovviec, & duas tabernas in Viſli-

in Vislicia, vsum quoque fluuij qui Skavvina vocatur, tam in piscationibus quàm etiam in castoribus, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, vsuagijs & pascuis, in basso & in plano, in aquis & molendinis, in vijs & semitis & omnibus alijs libertatibus & immunitatibus suis. 3. Sane Noualium vestrorum quæ proprijs manibus aut sumptibus colitis & de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat 4. Liceat quoq; vobis Clericos, vel laicos liberos & absolutos, è seculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos absq; contradictione aliqua retinere. 5. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum postfactam in Monasterio vestro professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem verò absque communi literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. 6. Cum autem generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce diuina officia celebrare. Chrisma verò, oleum sacrum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes Clericorum qui ad Sacros Ordines fuerint promouendi, à Diæcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine prauitate qualibet exhibere. Ad hæc nouas & indebitas exactiones, ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, Decanis, alijsque omnibus Ecclesiasticis secularibusue personis, à vobis omnino fieri inhibemus. 7 Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberauerint (nisi fortè excōmunicati vel interdicti sint, aut publici vsurarij) nullus obsistat: saluâ tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas prætetea & possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes quæ à laicis detinentur, redimendi & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent reuocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. 8. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres vnanimi consensu, vel Fratrum maior pars consilij sanioris, secundum DEVM & Beati Benedicti Regulam prouiderint eligendum. Paci quoq; & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine prouidere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, vt infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Prætereà omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas, nec non & libertates & exemptiones secularium exactionū à Regibus & Principibus vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationib⁹ fatigare, sed omnia integra conseruentur eorū, pro quorū gubernatione &

sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura: salua sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi Canonica iustitia & in prædictis Decimis moderatione Concilij Generalis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tertioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamq; se Diuino existere iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine DEI & Domini Redemptoris nostri IESV CHRISTI aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem, eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri IESV CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Thomas tit: S. Sabinæ Presb: Cardin:
Ego Bartholomæus tit: S. Pudentianæ Presb: Card.
Ego Sigenbaldus tit: S. Laurent in Lucina Presb: Card.
Ego Stephanus S. MARIÆ trans Tiber: tit: S. Calix Presb: Card.
Ego Ottho SS. Sergij & Bachi Diaconus Card.
Ego Romanus S. MARIÆ in Cosmedin Diacon Card.
Ego Ægidius SS. Cosmæ & Damiani Diacon Card.
Ego Petrus S. Georgij ad velum aureum Diac: Card.
Ego Reginaldus S. Eustachij Diaconus Card.

Datum Perusij, per manum M. Martini S. R. E. Vice Cancellarij, VII. Kal: Iunij, Indictione II. Incarnationis Dominicæ Anno M. CC. XXIX. Pontificatus verò D. Gregorij PP. Noni, Anno tertio.



SCRIPTVRA IV.

SVMMARIVM.

IOANNES DLVGOSSVS Maior CANONICVS CRACO:



Temporis anteacti non ignobilis scriptor, HISTORIÆ POLONÆ. Tom: I. lib: 3 in CASIMIRO I. *de Monasterio Tinecensi hæc habet.* Et licet Monasterium Tinecense centum & amplius villis à CASIMIRO Primo Polonorum Rege fuerit dotatum, in quadraginta tamen villis, tunc eidem à primario suo Fundatore Ca-

te CASIMIRO REGE donatis, nequitiâ & auaritiâ humanâ, negligentiâ insuper Præsidum diminutum fuit.

Idem Dlugoßus circa Annum Domini 1448. *rogatu & amicâ inuitatione Illustrissimi Herois Sbignei Olesnicij Cardinalis & Episcopi Cracouiensis, Inuentarios Ecclesiarum tam secularium quam Regularium intra Diœcesim Cracouiensem consistentium scripsit, qui Tinecensis Monasterij Iura, Priuilegia, reditus & cætera ad illud pertinentia, speciali Tractatu pertexens, sub finem descriptionis, singulare Parergon habet, sub hoc titulo.*

Villæ quas Monasterium TINECENSE habet in Priuilegijs Summorum Pontificum descriptas, & non habet illas in possessione. & consequenter ponit.

Woykowo, Pentkow, Chorowice, Nieprzesna, Gniewice cum suis pertinentijs, *Strzeklec, Kießkowice, Grußow, Podolany, Rudno.*

Szemychow villa, habens Parochialem Ecclesiam, cuius proprietas ad Monasterium Tinecense de iure pertinet, quam Spytek de Melsztyn, Palatinus Cracouiensis de Domo Lelivva, per vim abstulit, & à Monasterio Tinecensi alienauit, & parum superuiuens in bello per Alexandrum Vitoudum Litvvaniæ Magnum Ducem contra Tartaros circa fluuium Worzkla acto, Anno Domini M. CCXCVIII. interfectus, iustoq; Dei iudicio amisit propria, qui occupauerat aliena.

Vnechouice, Strzegoczyce, Bezdziechowice, Lankorz, Cziepetnik alias Swiepetnica, Szebnie, Grocholice, Thurza, Schebnia, Cieklino.

Dambrowna; vtraque, & tertia *Dambrowna*, Notandum quod Albertus Tinecensis Abbas & Conuentus, Anno Domini 1287. Idus Maij, cum Paulo Episcopo Capituloq; Cracouiensi fecerunt commutationem Decimarum: & receptis ab Episcopo & Capitulo Cracouiensi Duabus Decimis manipularibus, in vtraq; Lencze, villis videlicet in terra Zatoriensi & in castellanatu Cracouiensi, sub Parochia de Radzieszovvka vvola, & in villâ Zorzovv sub Parochia de Skavvina, etiam in terra Zatoriensi, sitis; & pro decimis Noualium in Syluis Monasterij per quoscunque excolendorum, dederunt Episcopo Cracouiensi Decimas manipulares in villis videlicet triplici Dabrovvna prope Lelovv sitis, quæ tum ad proprietatem Monasterij Tinecensis pertinebant: item Decimas manipulares in villis Byczyna in Castellanatu de Chranovv, & Goreslavvice, de Castellanatu Wisliciensi sitis, quas etiam villas *Byczyna* & *Goreslawice* & earum proprietatem quam tunc Abbas & Conuentus Tinecensis habebant, præfato Episcopo Paulo, & sub Episcopatui Cracouiensi, donatione perpetuâ donarunt &

runt & resignarunt, de quo, in Monasterio Tinecensi habetur ipsius Pauli Episcopi & Capituli Cracouiensis Priuilegium.

Olpiny, *Smilno*, *Czchow*, *Pomoczno*, *Stroze*, *Bezdechowice*, *Tarnowek*, *Pilsno*, *Myslosowice*.

Wolowice, villa sub Parochia de Czerniechovv sita, cuius proprietas olim pertinebat ad Monasterium Tinecense, sed cambita est & data Monasterio in Zvvierzyniec Sanctimonialium Ordinis Præmonstratensis pleno iure, & cum scultetia in Kolbark, pro villa *Liszki*, quam etiam nunc tenet pleno iure Monasterium Tinecense.

Dunáiecz. *Czobálice*. *Byden*.

Lanskouice, villa sub Parochia de Wirzbica in terra Tessinensi propè Ostrauam oppidum.

Byczyna villa sub Parochia de Slavvkovv sita, cuius proprietas etiam nunc ad Episcopatum Cracouiensem pertinet, vnà cum Decima manipulari. Quam Albertus Abbas & Conuentus Tinecensis, similiter & villam Goreslavvice in Vislicierisi castellanatu sitam, cum Decima quoque, cum essent ambæ de eorum proprietate; pro decimis in vtraq; Lencze & Zorzovv, tunc mensæ Episcopalis, Anno Domini 1287. & pro Decimis Noualium quæ in syluis Monasterij Tinecensis per quoscunq; excolentur consurgentibus, commutarunt cum Paulo Episcopo Cracouiensi de consensu Capituli sui.

Czyndenka. *Stradowo*. *Orzechowo*. *Czeteïowice*.

Pisáry, hæc villa iam in rerum natura esse desijt, quoniam in agris eius, & Duplicis Babice videlicet Nouæ & Antiquæ locatum est oppidum Skavvina, & agri earum in Aduocatum & in Plebanum & in oppidanos Skauinenses distributi.

Babyce Duplex Noua & Antiqua hæ vt dixi sunt depositæ, & agri earum distributi in Aduocatum, Plebanum, & oppidanos Skauinenses.

Magnum sal alias *Wieliczka*. *Grodzeschowo*. *Balyce*. *Szulistrzeiowo*. *Macieiowo*. *Trodnowice*. *Gruszczonowice*. *Podlancze*. *Grodzina*. *Piotrkowa*. *Igolomia*. *Chelmiec*. *Carniow*. *Szulisławice*. *Woczechowo* cum Decimis,

Ecclesia de magno sale.

Ecclesia S. ANDREÆ ante Cracouiam, hæc dudum à proprietate & possessione Monasterij Tinecensis alienata est, & creatum est ex ea Monasterium insigne Ordinis S. CLARÆ in quo circiter sexaginta Virgines, Castitatem & Regulam S. FRANCISCI professæ, inhabitant.

Ecclesia S. NICOLAI ante Cracouiam, hæc sub regimine, Matthiæ Abbatis, & de eius totiusq; Conuentus Tinecensis consensu, à proprietate & Iure patronatûs Monasterij Tinecensis, Anno Domini 1400. abstracta est, & Vniuersitati Cracouiensis studij perpetuò incorporata, regitq; illam vnus ex Doctoribus, per alios Doctores & Magistros, vacatione occurrente, præsentatus.

DECI-

DECIMÆ & ALII PROVENTVS,

Ad Monasterium TINECENSE olim spectantes.

Ex Authentico Libro Beneficiorum Diœcesis Cracouiensis.

Orlowa.

Pilzno, oppidum Regium. In quo lanei, & quilibet soluit pro Decima Monasterio Tinecensi per latos grossos; Summa, sex marcæ & quatuordecim grossi cum medio, latorum grossorum.

Dombrowa.

Szlotowa villa sub Parochia de N, sita, inqua sunt lanei, & quilibet soluit Monasterio Tinecensi pro Decima Lat. gros. Summa, quatuor marcæ cum media lator. grossor.

Szulacow.

Zborowice. villa sub Parochia de N, sita, in qua sunt lanei cmetonales & quilibet soluit Monasterio Tinecensi pro Decima lat: gros. Summa tres marcæ lator. grossor, & nouem grossi lati.

Wirzbica.

Strzegoczyce alias *Strzygoczyce* villa sub Parochia de N. sita, cuius heres &c. in qua sunt lanei cmetonales, & de omnibus soluitur & conducitur Decima manipularis & canapalis pro Monast: Tinecensi, præter vnum campum de quo cedit pro Episcopatu Cracouiensi. item taberna, item prædium.

Zablocie.

Mosczany villa sub Parochia de Zagorzany sita, cuius heres &c. in qua sunt lanei, & quilibet soluit Decimam pecunialem pro Monasterio Tinecensi.

Zirkowo.

Plawna villa sub Parochia de N. sita, in qua sunt lanei cmetonales & quilibet soluit pro Decima grossos, summa octo grossi & vna marca communis pecuniæ

Ostrawa.

Thurza villa, in qua sunt lanei cmetonales, & quilibet soluit pro Decima Monasterio Tinecensi latos grossos, summa, vna Sexagena latorum grossorum.

Lancbathi.

Bogunowice Villa sub Parochia de N. sita, in qua sunt lanei cmetonales, & quilibet soluit pro Decima Monasterio Tinecensi latos grossos. summa, vna marca, & decem scoti latorum grossorum.

Golczowice.

Swianczany villa habens in se Ecclesiam Parochialem, cuius hæres Spytek Melsztynski, in qua sunt lanei cmetonales, & quilibet soluit pro Decima Mona-

sterio Tinecensi, summa, vna marca, minus medio quarto grosso communis pecuniæ Decimæ de sortibus in *Kozle*, pertinentibus ad Castellaturam de Racibor circa Rybnik, quas Laurentius Episcopus Vratislauiensis de consensu Capituli sui pia liberalitate Monasterio Tinecensi perpetuo donauit, prout in suis literis latius continetur.

Olpiny. villa sub Parochia de Svvianczany, cuius heres Spytek Melsztynski, in qua sunt lanei cmetonales, & quilibet soluit pro Decima Monasterio Tinecensi latos grossos, Summa, duæ marcæ latorum grossorum.]

Zukow.

Krzyz villa sub Parochia de N. sita. in qua sunt lanei, & quilibet soluit Monasterio Tinecensi pro Decima, summa, Vna marca communis pecuniæ.

Mielec duarum villarum.

Duodecim Marcarum Argenti, & trium poledrorum, Annuus reditus, per Boleslaum Ducem Poloniæ, Monasterio Tinecensi concessus. sed is census seu reditus dudum abstractus & abolitus est.

Naulum in Visla iuxta Monasterium Tinecense quod claræ memoriæ Poloniæ Rex Boleslaus & Iudith Regina Monasterio concesserunt.

In Cracouia duo macella.

In Sidzina reditus salis.

In magno sale, duæ tabernæ, & quadraginta marcæ argenti vsualis, & quadraginta modij salis per Zuparios soluebantur: & Lesco Dux Cracou: Sendomir: & Siradien: Anno 1288. confirmauerat suis literis, quas habet monasterium.

Donationem vero harum 40. marcarum, & salis, fecerat Conradus Dux Cracouien: & Lenciciensis Luitfrido Abbati anno 1242.

In Bitom ius fori, sed hactenus non habet, quia dudum abstractum est.

In Sievvior nouum forum, vnum macellum, vna taberna, omnia à præfato Monasterio alienata sunt.

In Lapczyca liberum forum & taberna, sed Bochnensi oppido fundato, perierunt propter vicinitatem.

In Visloka & Bela & Opatouia vsus venandi.

In Opatovviec naulum in Visla, forum & taberna. item naulum in fluuio Dunaiecz & Visla, vbi sibi inuicem miscentur.

In Wislica oppido regio, duæ tabernæ quæ hodie non habentur.

Vsus fluuij Skauina in piscationibus & castoribus.

Iaworze, villa sub Parochia de N. sita, in qua sunt lanei cmetonales & quilibet soluit Monast: Tinecensi latos grossos.

Iurczyce, villa sub Parochia de N. sita in terra Zatoriensi, cuius hæres Petrus Iurczycki, in qua sunt lanei cmetonales sex, de quibus soluitur & conducitur Decima manipularis pro Monasterio Tinecensi. Iam vero notandum est, quod

quod *Anno Domini 1625. R. D. Ioannes zerzynski Canonicus & Officialis generalis Cracouiensis excommunicarat Dorotheam Przerebska possestricem villæ Iurczyce propter retentam Decimam Conuentui Tinecensi, & iure compulsa pro retentis, florenos 64. dederat, pro futuris vero annis ratione Decimæ post araturas cmetonum quotannis daturam se ad vitæ suæ tempora Marcas Decem submisit. videatur contractus in Actis Monasterij.*

Polianka, in terra Zatoriensi sub Parochia de N. sita, cuius hæres Petrus Iurczycki de domo & familia &c. in qua sunt lanei cmetonales, & quilibet soluit pro Decima Monasterio Tinecensi per Decem grossos communes.

Lincze Primum, villa in terra Zatoriensi sub Parochia de Wolia Radzieszovvska, in qua sunt lanei de quibus soluitur Decima manipularis.

Lincze secundum, villa de qua soluitur Decima manipularis Tinecensi Monasterio.

Mnykow, villa sub Parochia de Moravvica sita, cuius hæres Martinus Frykacz de domo Accipitrum, in qua sunt lanei cmetonales, item taberna, item hortulaniæ, de quibus omnibus soluebatur olim Decima manipularis Ecclesiæ in Moravvica, sed Abbas Tinecensis Andreas Ozga de domo Ravvicz, acquisiuit eam iure ordinario de laneis qui iacent post fluuium.

Siercza villa, de ea in libro Beneficiorum lege copiosius: De qua ex Actis Terrestribus Cracouiensibus id quoque noueris.

Obligatio Conuentui Tinecensi, Census Annui per tres Marcas in perpetuum in bonis villæ Siercza. Nobilis Nicolaus de Siercza, tres marcas census latorum grossorum Pragensium, monetæ Polonicalis consuetæ singulis annis continuè euntibus ad quodlibet festum S. MARTINI *de eadem hereditate Siercza, Venerabili Domino Stanislao Abbati & Conuentui ipsius de Tincia in perpetuum obligauit se soluturum. Actum Cracouiæ feria secunda proxima ante festum* S. GREGORII. *Termini sunt continuati & alij positi in quinque septimanis, videlicet Feria secunda in crastino Sanctæ* TRINITATIS *Anno Domini 1434.*

Klecze, villa Monasterij Tinecensis habens in se Parochialem Ecclesiam S. LEONARDI, matricem illius, quæ est in Brzostek, & vtraq; vnum habet Plebanum. In quâ sunt quatuor lanei cmetonales, in eâ parte, in quâ sita est Ecclesia, ex quibus soluitur Decima pecunialis pro Monasterio Tinecensi, estq; ibi vna Taberna eiusdem Monasterij, habens agros & soluens censum Monasterio. In alterâ parte villæ Klecze, sunt duo prædia militaria Czurylonum, de armis Korczaki: sunt etiam ibi cmetones, ad prædictos milites pertinentes, & tam milites, quam cmetones eorum, decimant Ecclesiæ in Klecze. Sed hanc partem, Anno Domini 1370. mortuo CASIMIRO II Poloniæ REGE, præfati milites, & eorum parentes, violenter Monasterio abstulerunt, & detinent iniuste occupantq;.

SCRI-

SCRIPTVRA V.

SVMMARIVM.

Anno 1242.

CONRADVS DVX.

Alueum salis ex fodinis Velicensibus, pro singulis angarijs Tinecensi Monasterio confert, cum ea obligatione vt cereus perpetuo in Ecclesia Tinecensi ardeat, & Religiosi eiusdem loci Anniuersarium pro anima Zemomilli filij eius absoluant, atq; diebus singulis vnam Missam Defunctorum perpetuis temporibus legant.

Habetur in Archiu. sub lit: I. *num:* 15.



Rex magnus & terribilis, cuius venti imperio obediunt atq; mare, disposuit pia miseratione, quod omnes stabimus ante tribunal ipsius, recepturi prout in corpore gesserimus siue bonum fuerit siue malum: & ideo oportet nos diem messionis extremæ, misericordiæ operibus præuenire, ac æterno um contemplatione, seminare in terris, quod reddente Domino cum fructu multiplicato recolligere debeamus in cælis, si mam spem fiduciamq; habentes, quod qui parè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. Et quamuis bonorum nostrorum non egeat Deitatis plenitudo, necesse est tamen, vt de his quæ nobis pro tempore sunt concessa, Diuinæ Maiestati ob remedium animarum nostrarum aliquid imperti i, cum ille pro nobis tradiderit semetipsum hostiam DEO in suauitatis odorem. Eapropter Nos Conradus Dux Cracouiæ & Lanciciæ, vniuersis Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis duximus elucidandum, quòd in remissionem peccatorum nostrorum, ac ob remedium & redemptionem animæ carissimi filij nostri Zemomilli, & nostrorum Parentum qui nos præcedentes diem clauserunt extremum, ac totius nostræ posteritatis, Ecclesiæ Tinecensi contulimus alueum salis ad magnum sal, vulgariter Zodnia nuncupatum, cuius pensionem angarijs, Cracouienses olim percipiebant. Statuentes cum Honorabili Patre Abbate Ludfrido & Conuentu Tinecensi, vt de prædicti aluei pensione, Ecclesia Tinecensis cereo competenti per singulos annos, diebus ac noctibus, omnibus horis ac momentis, illuminetur sine omni intermissione. In quolibet vero Anniuersario iam dicti filij nostri, præfatus Abbas, & tota

& tota Fratrum & Sororum Congregatio, ad hoc se & suos successores deuotè perpetuò obligarunt, quod in omni Anniuersario singulis annis, in ipsorum Monasterio quotquot fuerint Sacerdotes, Missas pro Defunctis celebrabunt, Diaconi autem & Subdiaconi & omnes alij in inferioribus ordinibus constituti, nec non & Moniales omnes quæ fuerint literis imbutæ, apud omnium Conditorem remedium supradictorum animabus implorantes, Psalteria legendo transcurrent. Hoc excepto, quòd in quolibet die per singulos annos vna Missa dicetur pro Defunctis in Ecclesia Tinecensi, in qua Filij nostri prædicti memoria principaliter debet haberi. Refectionem etiam in Anniuersario, Fratres & sorores facient cæteris, in signum memoriæ, notabiliorem & solenniorem, pauperesq; pascent iuxta modum suæ possibilitatis. Vt autem Fratres & Sorores Domûs sæpedictæ excitentur maiori deuotione ad hæc exequenda, eis donauimus captionem castorum per omnes possessiones, quæcunq; sunt ex causa donationis, exemptionis, seu commutationis Ecclesiæ Tinecensi conquisitæ. adijcientes, quod in hac venatione nullus omninò eos ausu temerario aut aliquo impedimento molestare præsumat, sed ita liberè venentur, prout Ducis Castorarij primitùs securè venabantur. Verùm quia memoria humanæ fragilitatis scrupulo obliuionis, & senij maturitate citissimè exterminatur, ideo necesse est ea quæ legitimis actibus celebrantur, scripti intitulatione totaliter memoriæ commendari, ne in posterum peruersorum credulitate in dubium reuocentur, præsentem paginam vt nulla possit tergiuersatione violari, filiorum nostrorum Boleslai Masouiæ, Casimiri Cuiauiæ, Ducum; Semouiti nostri filij iunioris, nec non & filij nostri Boleslai Ducis Sendomiriæ gratuito consensu ad hoc accedente, munimine nostrorum sigillorum decreuimus roborari; præcipientes nostræ posteritati, quatenus hanc donationem inuiolabiliter studeant obseruare. Si quis autem eam in aliquo voluerit perturbare, Diuinæ animaduersionis incurrat maledictionem. Ad maiorem verò rei euidentiam, testes fecimus subnotari, quorum nomina sunt hæc. Comes Mistud Castellan: Cracou: Bogussa Palatin: Lencicien. Sudo Palatin: Sendom. Sbislaus Castellan: Spicimirien. Vlodimirus frater eius, Dersłaus filius Preduogij, Florianus Tribunus Cracou: Vomauger Thesaurarius, Alexius Subcancellarius, Fulco Præpositus de Grodziec &c. Datum in Tiniec, in die Diuisionis Sanctorum Apostolorum, Idus Iulij, per manum Cancellarij Volimiri, Anno gratiæ M. CC. XLII.

SCRIPTVRA VI.

SVMMARIVM.

Anno 1250.

VLADISLAVS DVX OSVECIMEN: &c.

Paterno amore in filium suum Vlodimirum Monachum Tineciæ factum permotus, Monasterio Villam Laczany cum omnibus attinentijs donat; simulq; eius latifundia & limites definit. Præterea Decimam partem prouentuum ex Riczow perpetuo iure confert, liberamq; in syluis concedit incisionem, & Ducalia onera in Radzieszow & Zarzow indulget.

Habetur membran. in Archiu. sub litera R. *num:* I.



IN nomine Domini Amen. Præclara & magnifica Principum firmauit authoritas, vt omnia & singula rerum, gestaq; hominum, quæcunq; aguntur in tempore, ne simul volubilitate temporum accrescente, pereant cum tempore, vigore perpetuæ firmitatis gaudere cupientes, literarum apicibus, paginarum testimonio & appensione sigillorum fulciantur. Hinc est, quod Nos VLADISLAVS Dei gratia Dux Osuecimensis notum facimus omnibus & singulis tam præsentibus quam futuris præsentium notitiam habituris; Paternæ pietatis feruore moti, filialiq; zelo amoris sauciati, atq; mercedem æternæ retributionis consequi cupientes, Nostro filio tum dilecto VLODIMIRO Religioso Ordinis Sancti BENEDICTI de Tiniec iam professo, villam nostram super ripam Vislæ iacentem Laczany dictam, damus appropriamus & incorporamus. Rdo. Pri. Dno. Danieli Abbati Tinecensi cum suo Conuentu habendam, possidendam vtifruendam æuiternè & in æuum, cum omni iure superiori & inferiori, ac dominio Ducali prout soli tenuimus, nihil pro nobis penitus & nostris successoribus iuris aut dominij reseruantes: & cum omnibus syluis, rubetis, nemoribus, pratis, pascuis, piscinis, piscinulis, stagnis, aquis currentibus & non currentibus, censibus, obuentionibus, dationibus, laboribus, seruitijs omnibus, & singulis vsibus, fructibus, & quibuscunq; vtilitatibus alijs. Et quia iam nominata villa, pariter & insimul cum cæteris circum adiacentibus villis nostris, videlicet Riczovv, Polovvsie, nobis ex antiquo laborabant, & seruiebant indiuisim, atq; vno eodemq; iure fruebantur ex antiquo, vnde ad vitandam & fugiendam occasionem omnem iurgiorum, altercationum, & controuersiarum, seu quarumcunq; aliarum infestationum quæ sæpius inter homines

mines & præsertim cmetones in vicinitate residentes oriri solent, decernimus & mandamus, atq; iussimus, præfata bona seu hæreditatem Laczany sic nuncupatam, à cæteris villis Ducatûs nostri & dominiorum subditorum nostrorum omnium & singulorum, præfatæ villæ circumquaq; adiacentium limitibus granicierum, scopulorum atq; signorum communiri & pacificari atq; disiungi : incipiendo à superiori parte currentis fluuij Vislæ, super cuius ripam mandauimus facere scopulum primum, in quo salicem plantare instituimus ? à quo eodem primo & principali scopulo, nec ad dexteram nec ad sinistram declinando itur vsq; ad torrentem vulgariter *Strumien* qui de Riczovv fluit, iuxta ostensionem & apparentiam signi vulgariter *ciosna*, à præfato verò torrente rectè eundo non hinc inde declinando, vsq; ad angulum Ministerialis nostri in Polovvsie qui vocatur *Lopuse*, per cuius medium transeundo recto tramite vsq; ad fluuiolum qui dicitur *Czarnina* stagnum nouum in sinistra habendo ad vndecim passus, vocatur *Kraczaiow*; à *Czarnina* similiter eundo versus Chrastovvice vsq; ad trans tracturam *alias za przewloka* vsq; ad eandem Vislæ ripam ad quercum qui vocatur Michałovv Dab in quo vltimum & finale signum alias *ciosno* factum est. Tandem in præfatis villis videlicet Riczovv & in Polovvsie, ob maiorem dilectionem & memoriam spiritualis eiusdem filij nostri Vlodimiri, superius tacto Dno Abbati & Conuentui successoribusque eorum, conferimus, donamus, Decimam partem omnium censuum, prouentuum, quibuscunq; nominibus censeantur, ad nos pertinentium; & in syluis liberam secaturam lignorum, & roborum ad ædificandum quantum necesse fuerit; Nos interim & successores nostros, nec non incolas in præfatis villis pro tempore existentes ad soluendum ea, sub Censuris Ecclesiasticis, & æternæ damnationis, submittimus & obligamus. Item etiam Villas nostras, videlicet Wola, Radzieszovv, & Zorzovv iacentes in confinijs Ducatus nostri, eidem Abbati, suo cum Conuentu damus & incorporamus similiter, sicut & Laczany, cum pleno iure superiori & inferiori, nihil omninò excipiendo aut reseruando pro nobis & posteris nostrisin æternum. Datum in Osuiecim, ipso die Sanctissimæ TRINITATIS, Anno Domini M. CC. L. in præsentia Præclarissimi Ianussij Ratiboriensis, Ducis fratris germani nostri, ad hoc specialiter vocati & rogati, & aliorummultorum fide dignorum. In quorum omnium testimonium, Ducalis Maiestatis nostræ sigillũ duximus competenter fieri appendendum.

SCRIPTVRA VII.

SVMMARIVM.

Anno 1258. Mai, 21.

BOLESLAVS PVDICVS DVX CRACOV:

Abbati & Monasterio Tinecensi pro terra in quâ nunc Clepardia constructa est, dat vicissim iure perpetuo partem sylua Tinecia adiacentis, & terram vacantem circa Brzostek & clausuram in fluuio Visla, & Villam Gosturm.

Ex Archiu: Tinecen: Armar: sub signo W.



N nomine Domini Amen. Bona fide contractus celebratus inter homines mortales, ideo ad memoriam perpetuam redigitur in scriptis, ne ei quæ facta sunt per concordiã quasi dato libello repudij, per discordiã iteratò valeant suscitari. Nos igitur Boleslaus Dei gratia Dux Cracouiæ & Sendomiriæ, præsens instrumentum inspecturis notum facimus, quod Domino Boleborio Abbati Tinecensi & Cœnobio eiusdem loci, pro cõmutatione terræ quæ circa Ecclesiam Beati FLORIANI eidem Monasterio pertinebat, quam Ciuitati Cracouiensi & hospitibus loci prædicti adiunximus, donauimus partem borræ contiguam possessionibus claustri memorati, quam partem per Ioannem Militem nostrum heredem de Lipno certis terminis distinximus. Insuper dedimus terram quandam vacantem in villa quæ dicitur Brzostek, quæ Castellaturæ de Woynic pertinebat; & clausuram super Vislam, cum villa quæ Gosturm nuncupatur, liberè & omni contradictione non obstante. Et hæc omnia contulimus iure hæreditario possidenda, in recompensationem terræ supradictæ: Saluo etiam iure Molendini & tabernæ, quæ ab antiquo in Cracouia Domus iam dicta possedit. Vt igitur in præmissis nulla dubietas posteris oriatur, ista sigilli nostri authoritate communiuimus, præsentibus testimonium laturis, quorum ista sunt nomina, Dominus Fulco Cancellarius. Sulesz quondam Castellanus Visliciensis, Dobeslaus Castellanus de Chranovv, Ianussius Camerarius Ducissæ, Slaua pincerna de Sarnovv, Albertus subagazo Sendomirien: Sobeslaus Canonicus Sendomirien: Ecclesiæ, Albertus, Iuo, Capellani Curiæ, Datum in Zavvichost per manum Tuardoslai subcancellarij, Anno Domini M. CC LVIII. XII. Kal: Iunij.

(Locus + Sigilli.)

SCRIPTVRA VIII.

SVMMARIVM.

Anno 1268.

VLADISLAVS DVX OPOLIENSIS.

Villas & prouentus ac immunitates per anteriores Duces conceßas Monasterio Orlouiensi Ordinis S. BENEDICTI *confirmat in solidum: & hoc ipsum Monasterium submittit Abbatis Tinecensis iurisdictioni, quoad visitationem, Abbatis electionem, Fratrumq; ibi degentium omnimodam dispositionem.*

Ex Moniment: ad Abbat: Orlow: spectantib: desump.

IN nomine Domini Amen. Quoniam ea quæ acquiruntur in tempore, intẽpore pariter elabuntur; Canonica sanciuit authoritas, vt acta mortalium, scriptorũ seu testium assertione communita, apud posteros robur & vigorem obtineant firmitatis. Hinc est, quod Nos Vladislaus Dei gratia Dux Opoliensis, notum facimus tam præsentibus quam futuris, præsens scriptum inspecturis, vota, quæ sine prauitate ritè ac prouide per nostros prædecessores piæ recordationis sunt facta, in donatione Capellæ de Orlouia & villarum, cum omnibus suis pertinentijs ac vtilitatibus, nec non libertatibus earundem, rata habentes ac beneuolè acceptantes: Fratribus Ordinis S. BENEDICTI, secundum suorum continentiam priuilegiorum a nostris Prædecessoribus eisdem concessorum, fauorabiliter duximus innouanda. Videlicet, Sal per totum, cum Dabrovva & pratis omnibus, Chotebanz, Wirzbica, Zabłocie, ad salem tabernam totaliter, ac in tribus villis Szutovvo, Sierliczko, Ostravva, & infrascriptis villis, quicquid fuerit siue in Curia Ducis, siue vbicunq;, non alio, nisi ad prædictam Ecclesiam omne iuramentum pertinebit. Item vt nullus audeat de omnibus villis eidem Ecclesiæ pertinentibus, aliquem hominem citare ad aliquod castrum, nisi coram Duce, vel fratribus dicti Ordinis ibidem manentibus: & quicquid super ipsorum homines Dux iudicauerit vel ipsi, siue trecentas, siue sex marcas, siue duodecim, siue etiam quinquaginta, cum toto pomocne, piscatoribus & venatoribus, supradicti Fratres iure & perpetualiter obtinebunt. Volumus insuper ob salutem animæ nostræ, nostrorumq; peccatorum remissionem pietatis fructum amplificare, quod si aliquam expeditionem in Ducatu nostro vel extra fieri contingat, præfati Ab-

bas & Fratres eiusdem Ecclesiæ, ab omni turbatione, datione, contributione, releuamine & seruitio sint liberi, & perpetuis temporibus exempti. Abbas verò dictæ Ecclesiæ Orlouiensis, in omnibus iuribus & libertatibus Ecclesiæ, eodem iure fruetur in Ducatu Opoliensi, quo & Pater Abbas Tinecensis cum Ecclesia sua gaudet in Ducatu Cracouiensi. Item quod in Natiuitate Beatissimæ Virginis, annis singulis, quicunq; hominum siue domesticorum siue etiam aliorum, ad eandem Ecclesiam causâ deuotionis, vel mercimonij, vel cuiuspiam rei venerint, triginta dies plenâ gaudeant libertate, nec aliqua vexatione seu comprehensione valeant impediri. Ad hæc etiam, alias libertates eidem Ecclesiæ, & Fratribus dicti Ordinis per nostros prædecessores concessas, fideliter & deuotè adimplere cupientes, pro nobis & nostris posteris in perpetuum confirmamus. eâ tamen conditione apposita, quod Abbas Tinecensis, cum sui consensu Capituli & successoribus se nobis & nostris posteris infallibiliter obligabit, Abbatem & Conuentum sui Ordinis ponere in Orlouia claustro honesto & Conuentui apto, vbi eidem Abbati & Fratribus collocandum videbitur, secundùm quòd exigit Ordo ipsorum & Monastica disciplina. Ipse autem Pater Tinecensis quicunq; fuerit, visitandi, corrigendi excessus, alienandi & assignandi Fratres, constituendi & confirmandi electum Abbatem de Tinecia vel de ipsa domo, seu etiam electum cassandi, plenam habebit potestatem tam in capite quam in membris. Et vt supra his, nulla de cætero quæstio oriatur, vel ambiguitas emergat, præsentes literas Sigillo nostro duximus roborandas. Datum in Czeladz Anno Domini M.CC.LXIIX. Pridie Idus Iunij. Præsentibus his domicellis, Miescone, Casimiro, Boleslao, &Præmyslao,acComiteMroczkonePalatino,nec nonNotario nostro Gothardo: Comitibus quoq; alijs Ioanne Iudice, Sulcone Castellano de Chrzanovv, Simone de Srinaua, & Fratribus Hermanno & Otthone Fratribus etiam Lectoribus Paulo & Socio eius Damiano de Ordine Fratrum Prædicatorum, & alijs quam plurimis fide dignis. (Locus ✠ Sigilli.) Per manus Gothardi Not: Curiæ Ducalis.



SCRI-

SCRIPTVRA IX.

SVMMARIVM.

Anno 1286.

LESCO NIGER DVX CRACOV:

1. *Forum iudicandi causas hominum intra Dominium Tinecense consistentium, Abbati confirmat, simulq; Ius venandi feras.*
2. *Iure perpetuo donat Monasterio onera Regalia, exactiones indulget, ciuitates sub Iure Teutonico erigi permittit, libertatibus priuilegiat, & potestatem Iudiciariam ab eis exerceri vult.*
3. *Scultetos esse iudices ordinarios in bonis Monasterij; & supremum causarum Iudicem Abbatem esse declarat*
4. *Terminos quarundam villarum definit, & subditos ab arcensibus laboribus absoluit.*

Habetur membran: in Archiu: sub litera A. n. *6.*

IN nomine Domini Amen. Quoniam secundum DEI liberalitatem, bono operi duæ mercedes debentur, vna æternalis, alia temporalis. Hinc est quod Nos LESCO DEI gratia, Dux Cracouiæ Sendomiriæ, & Siradiæ, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, 1. Priuilegia Antecessorum Nostrorum vidisse, quæ Abbas Domus Tinecensis habet, iudicare in hominibus suis ascripticijs vel liberis, causas subsequentes, *Mech, Kig, Sedmnadeste, Pednadeste, Glowa, Zaglowæ, Secgriuen, Chansba, Nestane, & Trista*, etiamsi per ipsos Antecessores nostros aliquis sit constitutus, vel etiam causa aliqua ducta sit ad ipsorum curiæ cognitionem iudicij & examen, nullus alter quam dicti Cænobij Abbas solutionem recipiet pro se, & nullus Baro, vel Officialis cuiuscunque sit dignitatis. Insuper in eisdem Priuilegijs vidimus, dictum Abbatem Ius habere venandi omnes feras in hereditatibus suis. 2. Nos verò vt ipsorum vestigia (vti deuotus filius Ecclesiæ) imitemur, ob salutem animæ nostræ & etiam parentum nostrorum, hanc nostram gratiam decreuimus faciendam perpetuò, videlicet quod in villis ipsius Abbatis indulgemus, *vaccam, ouem, Stan: Strozam*, quod pro nobis recipi dignoscebatur. Item, de speciali nostra gratia, quamcunq; *Powolane*, vel qualiscunquè Exactio per nos vel posteros nostros in terra ponetur, dictus Abbas in villis suis recipiet pro se. Etiam de speciali nostra gratia damus eidem Abbati, vbicunq; voluerit in bonis suis castra, ciuitates,

villas, Iure Teutonico locare, damus sibi & successoribus suis plenam & liberam facultatem, eximentes ipsos homines qui locati fuerint, ab omnibus pensionibus, exactionibus, & etiam ab omnibus Iuris Polonici consuetudinibus, nobis seu Baronibus nostris cuiuscunq; dignitatis fuerint, reseruatis: ita vt in foro earundem ciuitatum, seu villarum, macella, tabernas, cameras vel mensas vbi panis venditur, & calciparias, liberè concedimus construendi. Causas quoq; potestate sui iudicij ciues, nec non & villani, leues & arduas iudicabunt, reos criminis & maledicos, qui reperti fuerint, pro qualitate cuiuslibet nominis culpæ debitè puniendo.
3. Addimus etiam quod incolæ ipsarum locationum, ad nullum Iudicem, vel qualemcunq; officialem nostræ Terræ, citari debent, vel coram ipsis respondere, nisi ad suum Sculteum. Similiter in villis Polonicalibus homines ascripticij vel liberi, ad nullius præsentiam debent citari, nisi Abbatis; excepta Hereditaria quæstione pro qua non aliter citabuntur nisi per Literam nostro Sigillo sigillatam.
4. Quarum Villarum nomina, licet non omnium proprijs vocabulis duximus exprimenda, videlicet *Tincia* in qua Monasterium situm est, *Opatkowice, Sidzina, Golikowice, Bukowe, Radziessow, Pekary, Powozowicy, Czernechow, Laczany, Wozniki:* ex villæ cum omnibus circumiacentibus syluis, mellificijs, venationibus, piscaturis, pratis, pascuis & nemoribus pertinent ad Abbatem & Monasterium Tinecense. Gades vero Tinciæ ex vna parte Vislæ vsq; in Rudno, & alia parte in Scauinam & Scauincam vsq; ad metam Vngariæ procedunt: gades vero Łączány incipient à Vislá & vsq; ad Scauam extenduntur. Absoluimus etiam dictarum villarum cmetones, ab ædificatione omnium castrorum & ciuitatum, excepto castro Cracouiensi. In cuius rei testimonium & perpetuam memoriam, ne malorum hominum suggestione, nostra donatio postmodum à successoribus nostris valeat violari, præsentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Anno Domini 1286. præsentibus his Sulcone Castellano Cracouiensi, Comite Suantoslao Castellano Visliciensi, Comite Laurentio Iudice Cracouiensi, Comite Nicolao Succamerario, Nicolao subiudice, & Domino Procopio Cancellario nostro.



SCRI-

SCRIPTVRA X.

SVMMARIVM.

Anno 1287.

PAVLVS PRZEMANKOVIVS EPISC: CRAC:

CVm Abbate & Conuentu Tinecensi commutationem Decimarum se fecisse testatur; scilicet pro Decima Lincensi & Zorzouiensi quas Cœnobio cessit, accepit à Conuentu Duas villas iure hereditario cum Decimis similiter, prœterea ex alijs tribus villis itidem Tinecensium, Decimas manipulares. in rem Episcopi vtilissima permutatio, sed damnosa Monachis.

Habetur in Archiu: sub litera N. *num:* 1.

IN nomine Domini Amen. Cum obliuio per successum, gestorum excludat memoriam, solers hominum prouidentia, quæ futuros exitus rerum metitur, sua gesta scripti tenore, perenni memoriæ recommendat, vt ipsa corporis oculus per chartæ speculum mentis oculo repræsentet. Proinde tam præsens ætas nouerit quàm futura, quod Nos Paulus DEI gratia Episcopus, totumq; Capitulum Ecclesiæ Cracouiensis, Religiosi Viri D. Alberti Abbatis Tinecensis nec non Canonici Cracouiensis, Matthiæ Prioris, Chrisani Præpositi, Ioannis Cancellarij, totiusq; Conuentus Fratrum & Monachorum Cænobij prædicti precibus inclinati, propter eorum commodum & vtilitatem, talem facimus cum eisdem commutationem & donationem irreuocabiliter, merè & sponte. Tradimus eis Decimas de his villis sitis in Castellatura Cracouiensi, scilicet in Lencze & in Zorzow cum earundem adiacentijs & adiacentibus araturis, prout mensæ Episcopi Cracouiensis decimabant seu poterant decimare, eis & eorum Cænobio sine vlla diminutione perpetuò possidendas: adijcientes & addentes dicto iure & permutatione perpetua eis, omnes Decimas in eorum omnibus syluis, post omnimodam araturam, quæ in eorum syluis de terra per quoscunq; excoletur & per quęcunque fuerit extirpata seu poterit extirpari de nouo. Ipsi autem D. Abbas vna cum Fratribus suis, mensæ nostræ Episcopali pro iam dictis Decimis, quæ eis plus commodæ existunt, donauerunt dicta permutatione iureq; præfato has Decimas, videlicet de Dubrowno tribus eorum villis quæ iacent prope Lelow, & de Byczyna hereditate ipsorum iacente in Castellatura

SCRIPTVRA XIII.

SVMMARIVM.

Anno 1311.

VLADISLAVS ŁOKTICVS REX POLON:

CVm diuersis bellis distinetur, Cracouiensis Magistratus Vrbem Boleslao Duci Opoliensi tradidit, cuius præsidiarios ex Vrbe Lokticus facile eiecit, auctores vero defectionis bonis suis priuauit. Ex villis quoquè hæreditarijs Monasterij Tinecensis, iustè rebelles proscripsit, siquidem bona Domûs Tinecensis à Regibus collata, Regum protectioni & dispositioni subsunt, nec possunt ijs inuitis insciijsue alienari cuipiam.

Habetur in Archiu: sub litera O. *num:* 1.



IN nomine Domini Amen. Iustitia est, ius vnicuiq; quod suum est tribuens, ingratos obedientiâ puniendo, benè meritos verò beneficijs perpetuis multipliciter præmiando. Ideo Nos VLADISLAVS Dei gratia, Cracouiæ, Sendomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæq; Dux, ad notitiam, memoriam, & testimonium perpetuum, omnium præsentium & futurorum volumus deuenire: quod propter demerita, publica periuria, traditiones, proditiones, commissiones criminis læsæ Maiestatis, quas ciues ciuitatis nostræ Cracouiensis nefandissimè in Nos hæredes suos, ac gentem Polonicam atrociter perpetrarunt, tradentes Ciuitatem dictam Principibus peregrinis, euellendo & exterminando nos suos veros & legitimos Dominos & hæredes, & maximè Zurdmanus de Pisary, Kaszow & Smierdzaca; Ioannes de Radeszovv & Wola; Iacobus & Pacoldus de Koianovv & Prodnik, de Kryvva, Dubrovva Sculteti; Heincza de Naczer, & alij suos in Prodnik mansos habentes; Henricus Aduocatus Cracouiensis in wilkovv, & omnes alij quicunq; habent bona mobilia & immobilia à Monasterio Tinecensi: Eosdem iustitiâ exigente, de maturo consilio nostrorum Baronum & hæredum ipsorum, Nomine Domini inuocato, omnibus possessionibus, prædijs, iuribus, reditibus, sculteijs, priuilegijs libertatibus, gratijs, confirmationibus, donationibus, bonis emptitijs & quocunq; titulo acquisitis à quocunq;, à nobis nostrisue prædecessoribus sub quacunq; forma verborum; & specialiter à Monasterio, Abbatibus & Conuentu Tinecensi, prædictis, Ordinis S. BENEDICTI Diœcesis Cracouiensis: ex nunc sententialiter & perpetuo exui-

mus,

mus, priuamus, nudamus, & pronuntiamus publicè, fore priuatos & nullius momenti, propter dicta scelera existere penitus vel vigoris: & reducimus dicta bona plenè & integrè, ad ius & proprietatem cum omni iure & Dominio ad Monasterium & Conuentum Tinecensem: excludimus prædictos scultetos, & hæredes ipsorum à dictis bonis, & omni actione & accessu pronunciando inhabiles, periuros, & perfidos nunc & semper: & facimus Monasterium & Conuentum sculteciarum, bonorum, & omnium iurium ipsorum veros Dominos & Hæredes. Quicunq; autem venerit contra præsens nostrum Priuilegium. & quotiescunque, Duas Marcas Auri nobis pro pæna, & tertiam Monasterio dicto soluat & soluere teneatur; Priuilegio nihilominus semper in suo robore permanente. Actum apud Doblicz in castris, Anno Domini MCCCXI in die Beati THOMÆ Apostoli. præsentibus fidelibus nostris Voytecho Palatino, Prandota Castellano, Smilone Iudice, Sudone Dapifero, Paulo Thesaurario, Dobeslao Agazone, Sendomiriensibus. Ioanne de Brzesko Castellano, Floriano Succamerario Cracouiensibus. Derscone dicto Celma de Ianina, Ioanne de Czechovv Castellano, & alijs pluribus fide dignis ad hoc rogatis & specialiter vocatis. In cuius rei testimonium, Scripto præsenti, nostrum sigillum fecimus appendi. Datum per manus Sdeslai Præpositi Beati FLORIANI, & nostri Subcancellarij Cracouiensis.



SCRIPTVRA XIV.

SVMMARIVM.

Anno 1320.

VLADISLAVS ŁOKTICVS REX POLON:

Concordiam inter Abbatem Tinecensem & Iacobum Succamerarium Sendomiriensem, dimissionis Castri Goleß & villarum quarundam Monasterij per vim à Iacobo poßeßarum occasione factam, suo Diplomate ratificat, adiecto vadio, in defectu non paritionis promißo, per fideiußores omnino exoluendo.

Habetur in Archiuio Tinecen: sub litera K. num: 7.

In no-

4. *Villas Cœnobij nonnullas specificat, in quarum possessione non sumus modo.*
5. *Incolis nouis qui se de recenti locauerint in hæreditate Cœnobij, libertatem ad certos annos indulget.*

Habetur in Archiu: sub litera L. *num:* 1.



IN nomine Domini Amen. Cum secundum Diuinam authoritatem, omni operi bono, duæ mercedes debentur, vna temporalis & alia æternalis. Nostri Prædecessores, sicut Excellentissimæ memoriæ Rex Boleslaus extitit, & Judith Regina, nec non illustris memoriæ Dux Boleslaus Patruus noster, & alij quam plures; Monasterium Tinecense pia deuotione ac sincera charitate sunt vtroq; brachio dilectionis amplexati; quod ex eo patet, quoniam multis gratiarum beneficijs, libertatumq; munificentijs idem Cœnobium dotauerunt & sublimauerunt: veluti ex Priuilegijs dictorum sæpius visis patet manifestè, quibus non modicè idem Cœnobium extitit roboratum. Quorum vestigia Nos LESCO DEI gratia Dux Cracouiæ Sendomiriæ & Siradiæ, studiosè vt condecet & salubriter prosequentes, cùm omnia ritè ac laudabiliter fecerint, nec non etiam Statuta & Donationes (maximè quæ pijs locis sunt datæ ac donatæ) eorum ampliare potius quam diminuere volentes: insuper nostrarum desolationem terrarum, [quæ gladio inimicorum Crucis, sunt desolatæ nostris exigentibus peccatis, & inconcussæ ligonibus & aratris, sanguineq; innocuo contaminatæ iacent incultæ,] alijs hominibus & agricolis replere, nec non reformare cupientes, vt rursus Catholica Ecclesia & Christianus populus succrescat, ac succedat in DEI laudem, nostrumq; seruitium ac vtilitatem, Abbati & Fratribus Monasterij Tinecensis qui inibi habitant, in vinea Domini Sabaoth laborantes, cui nos specialiter tenemur prouidere & prodesse, cum simus eius verus hæres & specialis Dominus, hanc nostram gratiam decreuimus faciendam; videlicet, 1. Quod in bonis & possessionibus ipsorum, villas infra nominatas habitas, vel in territorijs eorum habendas, in campis, agris, syluis locandi, aquas quoq; in vsus proprios conuertendi, ciuitates etiam vbi visum fuerit extruendi, Iure Teutonico, plenam liberam damus & concedimus facultatem: quibus scilicet ciuitatibus macella, tabernas, cameras ad pannum, mensas panis, & calciparias, focum argenti examinandi causa, & cætera sine quibus ciuitas non potest stare: Villis autem singulis, vnam tabernam, & vnum macellum damus, licentiam extruendi, eximentes eos ab omnibus pensionibus, seruitijs, solutionibus, consuetudinibusq; Iuris Polonici, nobis seu Castellanis vel Palatinis aut qualibuscunq; officijs de iure vel de facto spectantibus. 2. Insuper addimus quod incolæ quicunq; locati fuerint in villis præfati monasterij, aut Ciuitatibus præsentibus, sicuti est Opatovviec, & futuris adhuc locandis, nec ad Castellanum aliquem aut Palatinum vel qualemcunq;

cunq; Officialem nostrum citari debent, siue coram ipsis respondere, nisi ad suum Sculterum. Ad Nos autem non aliter citabuntur, nisi per literam nostro sigillo communitam, in causa tantummodo, quam Sculterus non potest definire: qui tamen Scultetus coram nobis vel nostris Iudicibus, suos villanos vel Ciues suo iure iudicabit: sed Sculteti coram nobis, Iure Teutonico respondebunt. Et cum tota ciuitas vel villa vniuersaliter citata fuerit proprijs nominibus hominum suppressis, tunc tantummodo duo ciues Seniores seu villani cum suo Sculteto coram nobis compareant suo iure responsuri; quicunq; autem nominati fuerint in citatione, debent comparere. 3. Pænas verò condemnationum paruas & magnas nihil excipiendo, Abbas præfati Monasterij recipiat & conuertat in sui Monasterij vtilitatem. Ipsi verò Sculteti causas potestate sui iudicij leues & arduas iudicent, reos criminis & maledicos qui intra eorum metas reperti fuerint, pro qualitate cuiuslibet noxiæ culpæ debitè puniendo. 4. Quorum igitur nomina locorum, & villarum licet non omnium proprijs vocabulis duximus in præsenti declaranda, quæ quidem sunt. Grodziec, Czulow, Radeszow cum suis pertinentijs, Pentkow, Bukowe, Wilga, Golikowice, Sierca, Bozanow, Lapczyca, cum Koianow, Nepresna, Wilkow in Castellanatu Cracouiensi, Xiaznice cum suis pertinentijs, Vkolice, Petrkowice cum Vrzuty, Opatowiec in Castellanatu Vislíciensi, Rudno, Tuchow, Birowka, Siedlisce, Babinowice, Gromnik, Cieszkowice, Polanka, Siemiehow, Cchow, Pilzno, Strzegoczyce, Deborzyno, Kamienica, Brzostek, Kleczy, Viazd, Kraiowice, Lancorz, Warzyce, Siebnie, in Castellanatu Voynicienfi, Vnesc, Ceklino, Swepetnica, Olpiny, Stroze, Bezdechowice, Turza, Zborowice in Castellanatu Dobcycensi. 5. Quicunq; verò locati fuerint vel incolæ, super hæreditatibus nominatis, à primo die locationis triginta annis super syluis, duodecim annis super mericis vel quercetis, octo annis super campis gaudeant omnimoda libertate. Si quis autem hanc nostram & condignam donationem infringere ausu temerario voluerit, nobis pro pæna vnam marcam auri, Castellano, Palatino, Iudici Cracouiensibus, vnam marcam argenti persoluere teneatur. Vt igitur hæc illibata & inuiolata perpetuoq; permaneant, præsens scriptum præfato Monasterio traditum nostri sigilli robore fecimus communiri.

Acta sunt hæc Cracouiæ Anno Domini M. CC. LXXXVIII. præsentibus istis quorum hæc sunt nomina, Comes Sulco Castellanus, Comes Petrus Palatinus, Comes Laurentius Iudex, Comes Nicolaus Thesaurarius, Comes Nicolaus Succamerarius, Comes Nicolaus subiudex Cracouienses. Datum per manus Philippi Subcancellarij Curiæ nostræ.

de Chranow, ac de Goreslauice villa eorum quæ iacet in Castellatura Vislicienſi: inſuper ipſas hereditates Byczynam & Goreslauice quæ ad ipſorum ius & ad proprietatem Monaſterij pertinebant nobis & menſæ noſtræ Epiſcopali donauerunt merè & ſpontè, perpetuò & irreuocabiliter habendas & tenendas. Vt igitur hæc vniuerſa & ſingula perpetualiter perſeuerent, præſentem paginam noſtro ſigillo noſtriq; Capituli duximus roborandam. Actum Cracouiæ, Anno Domini M CC.LXXXVII. Indictione XV. Idus Maij.



SCRIPTVRA XI.

SVMMARIVM.

Anno 1288.

LESCO NIGER DVX CRACOV:

Quadraginta marcas argenti & totidem ſalis modios, ex Velicenſibus fodinis ad Monaſterium Tinecenſe ex antiquò ſpectantes, perpetuò ratificat, & tempus exigendæ ſolutionis determinat, pœnaſq; in negligentes Zuparios decernit.

Ex Archiu: ſub litera I. *num: 16.*



IN nomine Domini, Amen. Ea quæ aguntur, vel fiunt in tempore, ſimul labuntur cum tempore, niſi fuerint hominum teſtimonio, vel literarum memoriæ commendata. Nos igitur Lesco Dei gratia Dux Cracouiæ, Sendomiriæ & Siradiæ notum eſſe volumus vniuerſis tam præſentibus quam futuris, ad quos præſens ſcriptum deuenerit, quod ad magnum ſal in Dominio Cracouienſi, inuenimus quadraginta marcas argenti vſualis, & quadraginta modios ſalis pertinere & prouenire ad vſum & vtilitatem Monaſterij Tinecenſis, quod certis temporibus ſoluebant Zuparij quicunq; Zupam tenebant ibidem; Quod factum pium & honeſtum nos ſincerâ complectentes deuotione, ratum habentes atq; firmum, ſicuti à Prædeceſſoribus noſtris

nostris perpetuum extabat, ita perpetuo confirmamus. Sancientes & tempora solutionis lucidius declarantes, ne pro defectu salis aut argenti debiti, & tempore suo non erogati, in prædicto nostro Monasterio fiat perturbatio DEI famulis, qui pro pace terræ, nostraq; salute non cessant Dominum exorare. nam præfati Cænobij Fratres sæpè venerunt ad nos conquerentes, quod eis sal non daretur & hoc per negligentiam vel auaritiam Zupariorum. Nos ergo paci & tranquillitati Fratrum consulere cupientes, volumus & statuimus sub pæna vnius marcæ auri nobis applicandæ, quod ante diem PHILIPPI & JACOBI Apostolorum, Zuparij in Magno sale Abbati Tinciensi viginti marcas argenti currentis, & iterum ante diem Beati MAVRITII viginti marcas persoluere teneantur. qui si neglexerint, in die Beati FLORIANI & Beati MICHAELIS nobis vnam marcam auri, & Succamerario vnam marcam argenti pro pæna dare teneantur: Sal verò sub eadem pænâ, ante diem S. ANDREÆ Apostoli omni septimanâ vnum modium quamdiu durat, debent expedire. In cuius rei testimonium prælibato Monasterio præsentem paginam tradimus nostri sigilli munimine roboratam Actum Cracouiæ, anno Domini M. CC. LXXXVIII præsentibus his, quorum hæc sunt nomina, Comes Sulco Castellanus, Comes Petrus Palatinus, Imramnus Venator; Nicolaus Succamerarius, Nicolaus Thesaurarius, Nicolaus Subiudex Cracouienses. Datum per manus Domini Philippi Subcancellarij Curiæ nostræ.



SCRIPTVRA XII.

SVMMARIVM.

Anno 1288.

LESCO NIGER DVX CRACOV:

1. *Post barbaricam desolationem Poloniæ, concedit Monasterio Tinecensi, in proprijs bonis, Villas & oppida sub Iure Teutonico locare. eximendo eas ab omni pensione.*
2. *Iudicandi homines intra possessiones Monasterij habitantes, non alios Officiales Prouinciæ, sed scultetos Abbatis Ius plenum habere.*
3. *Pœnas omnes condemnationum iudicialium Abbati soluendas statuit.*


N nomine Domini Amen. Vniuersis tam præsentibus quam futuris præsentes literas inspecturis pateat manifeste. Quod cum Nobilis Vir Iacobus Miles & Succamerarius noster Sendomiriensis, Filius quondam Alberti Militis Palatini nostri ibidem, dicti de Zmigrod, fuisset ad instantiam Venerabilis & Religiosi Viri Domini Michaelis miseratione Diuina Abbatis & sui Conuentus de Tinecia Excommunicationis sententia innodatus, propter quoddam Castrum quod Golesz vulgariter nuncupatur, & propter quasdam villas, possessiones, & bona, dicto Castro adiacentia; quæ villæ & bona ad Dominum Abbatem & suum Conuentum immò ad dictum Monasterium in Tincia de iure ab antiquò pertinent; quas villas, possessiones & bona, idem Iacobus de Facto occupauerat non de Iure. Et cum inter eosdem Abbatem suumq; Conuentum ex parte vnâ, & Iacobum reum ex alterâ, super prædictis villis, possessionibus & aliis bonis, ad dictum D. Abbatem & suum Conuentum pertinentibus, discordia litis & dissensionis materia aliquantulum viguisset; tandem D. Abbas cum suo Conuentu, & Iacobus, sæpedicti, volentes discordijs, litibus & dissensionibus omnibus supradictis finem imponere, ad pacisq; deuenire ac perpetuæ concordiæ vnionem, in Nostra VLADISLAI Dei gratia Regis Poloniæ præsentia personaliter constituti, mediantibus Viris Nobilibus Nauoio Castellano & Petro Vexillifero Cracouiensibus, ac Thomislao Palatino Sendomiriensi, nostris fidelibus ordinatoribus huius facti, taliter concordarunt. Quod idem Iacobus prædictum Castrum Golesz & Villas infra scriptas, videlicet Kraiovvice, Warzyce, Lancorz, Czeklino, & hereditates in Becensi territorio situatas, videlicet Stroze, Suepetnica, Zagorzany, Viazdovv, dictas, ac omnes alias & singulas possessiones & bona per eum occupata, fassus est & publicè recognouit, ad dictum D. Abbatem & Conuentum de Tincia immò ad ipsum Monasterium ab antiquo, Iure hereditario pertinere; promittens idem Iacobus fide data & sine scrupulo omnis doli, ac sine læsione, tam hominum quàm bonorum prædictorum, & aliorum bonorum Ecclesiæ & Monasterij Tinecensis, difficultateq; & occasione qualibet procul motis, eidem D. Abbati & suo Conuentui seu Domui, prædictas omnes villas, possessiones & bona, ex nunc restituere in integro, nec ipsum D Abbatem & suum Conuentum aut Domum de Tincia de cætero in perpetuum in dictis villis & possessionibus, ac in bonis alijs omnibus Ecclesiæ Monasterij Tinecensis, aliqualiter impedire, sed potius adiuuare, & in omnibus in quibuscunq; poterit defensare. Præter Castrum Golesz, quod infra tres annos debet construere ex promisso, & duas villas, scilicet Kraiouice & Warzyce [exceptis Decimis quæ Domino Abbati prædicto & suo Monasterio ex nunc cedent] debet tenere, de eiusdem D. Abbatis & sui Conuentus gratia speciali, ita quod elapsis tribus annis, qui ab hodierna die debent computari, duæ villæ prædictæ Kraiouice & Warzyce non deterioratæ sed melioratæ, occasione qualibet non obstante, per Iacobum memo-

ratum

ratum aut suum successorem debent D. Abbati & suo Conuentui aut Monasterio in Tincia restitui, supradictis. Cæterum si infra tres annos prælibatos ipsum Iacobum, dictum Castrum Golesz destruere, vel etiam de hoc seculo decedere contingeret, tunc dictæ duæ villæ Kraiouice & Warzyce statim post destructionem Castri eiusdem, vel etiam post mortem Iacobi ipsius, ad præfatum D. Abbatem & suum Monasterium sine difficultate qualibet redire debent liberè & quietè: ita quod nullus de cætero, quam D. Abbas cum suo Conuentu & Monasterio ipsas duas villas, nec non alias villas & possessiones superius scriptas & bona tenendi & de eis disponendi vt sibi videbitur habeant potestatem. Quibus sic peractis Nobiles Viri fideles nostri Nauoius Castellanus & Petrus Vexillifer Cracouienses, pro ipso Iacobo in omnibus & singulis articulis suprascriptis per ipsum Iacobum fideliter & inuiolabiliter adimplendis, fideiusserunt & se voluntariè sub pæna Centum marcarum grossorum Boëmicalium obligauerunt in hunc modum, videlicet, quod quandocunq; ipse Iacobus suum promissum in prædictis omnibus vel aliquo prædictorum violaret, tunc ipsi fideiussores sui scilicet Nauoius Castellanus quinquaginta marcas grossorum, & Petrus Vexillifer alias quinquaginta marcas grossorum Boëmicalium infra quatuor septimanas, ab illo die computando, quo dictum promissum suum præfatus Iacobus in aliquo violaret, ex promisso & ex ordinatione, qualibet occasione remota soluere tenebuntur & debent D. Abbati de Tincia & suo Monasterio supradictis, Iacobusque sæpè dictus sicut prius cadet in Excommunicationis sententiam ipso facto: quâ pæna soluta vel non soluta, ordinatio & concordia prædicta semper in sua sicut prius permaneat firmitate. In cuius rei testimonium & euidentiam clariorem, Sigillum nostrum & nostrorum fidelium videlicet Nauoij Castellani, & Petri Vexilliferi prædictorum, ac Thomislai Sendomiriensis Palatini qui fuerunt mediatores & ordinatores huiusmodi concordiæ, nec non Spitconis Cracouiensis Palatini, ac præfati Iacobi sigilla præsentibus sunt appensa. Actum & datum Cracouiæ in Vigilia Beatæ MARGARETHÆ Virginis & Martyris. Anno Domini MCCCXX. præsentibus fidelibus nostris Philippo Cancellario, Predpelcone Castellano & Petro Iudice Posnaniensibus, & Suentoslao alijsq; pluribus testibus fide dignis.



SCRIPTVRA XV.

SVMMARIVM.

Anno 1346. Septemb: 26.

CLEMENS PAPA VI.

AD petitionem Abbatis Tinecensis, constitutionem BENEDICTI *Papæ XII. quâ Mendicantium Ordinum Fratres ad Monasticos Ordines, Nigrorum præcipuè & Cisterciensium transire prohibet, ex Registro Constitut: eiusdem Pontificis describi iussit. Iam verò hæc* BENEDICTI *Duodecimi Constitut: habetur, in Bullario Romano tom: 1. sub Bened: XII. Constitit: 1.*

Ex Archiu: Tinecen: sub litera C. *num: 28.*



LEMENS Episcopus Seruus Seruorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. Tenorem quarundam literarum, felicis recordationis BENEDICTI PP. XII. Præd ecessoris nostri, in Registro ipsius prædecessoris repertum, ad dilecti filij Abbatis Monasterij Tinecensis Ordinis S. BENEDICTI Cracouiensis Diæcesis, supplicationis instantiam, de Registro ipso de verbo ad verbum transcribi & præsentibus annotari fecimus, qui talis est. BENEDICTVS Episcopus Seruus Seruorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Regularem vitam professis, sic expedit subtrahi omnem inquietudinis & turbationis materiam, quòd in contemplationis suauitate quiescere valeant, & tranquillum Domino reddere famulatum. Cum igitur ex eo, quòd professores Ordinum Mendicantium, ad Monachorum Nigrorum & Cistercienlium Ordines consueuerunt plerumq; transire, multas in dictis Ordinibus turbationes, infestationes, molestias, damna, & scandala prouenisse experientia doceat manifestè: Nos his ex debito Pastoralis officij, pro futuro tempore occurrere cupientes, de consilio Fratrum Nostrorum decreuimus, Ne quis cuiusuis Ordinis Mendicantium professor, ad aliquem dictorum duorum Ordinum quoquomodo transire valeat, sine Romani Pontificis licentia speciali, plenam & expressam faciente, de constitutione huiusmodi, mentionem: non obstantibus Priuilegijs Apostolicis quibuscunq;, concessis in contrarium dictis Ordinibus Mendicantium, seu eorum Prælatis, aut aliquibus eorundem, vt quo ad hoc, nullius sint & existant, prout ex nunc decernimus, firmitatis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam

noſtræ

nostræ institutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum PETRI & PAVLI Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Auenione, IV Nonas Iulij, Pontificatus nostri anno primo. Cæterum vt earundem literarum tenor prædictus sic insertus, omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, Apostolicâ authoritate decernimus, vt illud idem robur eamq; vim eundemq; vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent Originales literæ supradictæ; & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque & vbicunque, siue in iudicio vel alibi, vbi fuerit exhibitus vel ostensus, vt eidem stetur firmiter in omnibus sicut eisdem Originalibus literis staretur si forent exhibitæ vel ostensæ, per hoc nullum ius alicui de nouo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conseruari. Nulli ergo omninô hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum PETRI & PAVLI Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud villam nouam Auenionensis Diæcesis, VI. Kal: Octobr: Pontificatus nostri anno tertio. Rigaldus. P. de Mennaco.

SCRIPTVRA XVI.

SVMMARIVM.

Anno 1354.

Decretum Graniciale per Commißarios Regios pro parte Monasterij Tinecensis factum & latum; in quo triginta & aliquot villæ Monasterio Tinecensi vti hereditariæ illius, adiudicantur. Ex quibus quidem enumeratis villis, vix tres modò possidet Monasterium, reliquas Donatarij Regij gratiosè tenent, vel eas, in hereditates proprias certi Nobiles conuerterunt.

Habetur in Archiu: sub lit: A. num: 10.


IN nomine Domini Amen. Quoniam ea quæ aguntur in tempore, ne simul labantur cum tempore, necessarium & dignum est, ea literarum apicibus & testium solennitatibus perennare. Proinde tam præsens ætas nouerit quam futura, quod Nos Hermanus

Terrarum Cracouiæ & Sendomiriæ Procurator Generalis, Andreas Succamerarius & Ioannes Subiudex Cracouienses, per Illustrem Principem Dominum Casimirum Regem Poloniæ, (ad preces Venerabilis viri Domini Ioannis Abbatis Tinecensis inclinati) ad syluas in Castellania Cracou: circa Wisłokam fluuium iacentes, & ibidem ad earum hæreditates, & Baronum, Militum, terrigenarumq; suorum gades limitandas, & rem veritatis discutiendam specialiter deputati; tunc etiam inter Dominum Abbatem Monasterij supradicti, gades publicè & solenniter, cum gadibus terrigenarum (vt supra præmisimus) inter eorum hæreditates celebrantes: Considerantes verò & inuestigantes per viciniam circum iacentem, verā solennemq; prout consuetudo Terræ & Ius ad hoc requirebat seu requirit, hæreditates, cum vicinia cuiuslibet hæreditatis deputatæ personaliter circumdantes, & limites earum percipientes, per indicationem & publicam viciniæ dictæ ostensionem, nec non priuilegiorum suorum antiquitus super eis concessorum præsentationem, vijs, fluuijs, angulis, debitisq; signis quæ inter hæreditates iustè & dignè reperiebantur; pro tunc etiam inuestigauimus, inuenimus, & ad rei veritatem, more consueto reduximus, limitantes. Primo itaq; Przeczyca, Iodłowa, Pasieczna, Iaworze, Klecze, Kamienica, Libertas Blasconis, Skorowa, Libertas Martini, Ianuszkowice, Gogolowa, Libertas Ioannis, Kolaczyce ciuitas, Libertas Satconis, Kluczowa, Brzyska, Libertas Melesconis, Targolza, Laki, Kobyle, Swiepietnica, Olpiny, Libertas Ianusconis, Libertas Timkonis, Turza, libertas Grasconis & Ciniconis, etiam tres libertates in Rzepnik, Chansba, Boguniowice, Siemiechow, dimidiam partem villæ in Sieklino, dimidiamq; villam in Meszna, & libertas quæ propè Tarnowek iacet; omnes villas supradictas vt præfertur, per viciniam cuiuslibet hæreditatis deductas & adiudicatas publicè, adiudicamus Diuinâ gratiâ suffragante non alicui nisi Monasterio Tinecensi: Et in posterum per Dominum Regem cum suis Baronibus, imposuimus finem præmissarum Terrarum, hereditatum iam dictarum, cum omnibus prouentibus, vtilitatibus & iuribus, ac etiam suis gadibus, sicuti sunt in suis metis sitæ & distinctæ, Monasterio supradicto pertinere, & omnibus alijs quibuscunq; silentium de eisdem imponentes. Actum & datum Cracouiæ, in autumno sub Anno Domini 1354. in Aula Domini Regis, specialiter præsentibus suis Nobilibus strenuisq; Militibus, qui tunc ibidem ad gades nobiscum equitauerunt, Posnano Konarski de Samboczyn, Clemente dicto Gedczyc, cum Michaele suo fratre, Segneo Præposito S. MICHAELIS in castro Cracouiensi, Dobeslão de Lasow, & Dyrscone Kawarsciano de Trzebnica, hæredibus, ac etiam, quàm pluribus fide dignis nobiscum tunc ibidem in limitatione dicta constitutis.

SCRI-

SCRIPTVRA XVII.

SVMMARIVM.

Anno 1354.

CASIMIRVS MAGNVS REX POLONIÆ.

Concordiam, quæ inter Ioannem Abbat: Tinec: & Eustachium Castellanum Lublinensem fuit facta, confirmat: vbi Abbati & Monasterio oppidum Kolaczyce cum villis specificatis adiudicat, Castellano verò oppidum Pilzno & Strzegoczyce per modum amicabilis compositionis & permutationis attribuit.

Habetur in Archiu: sub litera K. *num: 9.*

IN nomine Domini Amen. Protestationes Principum ideo conquiruntur, ne id quod ritè fit & rationabiliter celebratur, procedente tempore per quempiam malitiose irritari possit & iniuriose violari. Hinc est quod Nos CASIMIRVS DEI gratia Rex Poloniæ, nec non Terrarum Cracouiæ, Sendomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Pomeraniæq; Dominus & hæres, ad notitiam & testimonium omnium tam præsentium quam futurorum, harum serie literarum volumus deuenire. Quod cum inter Venerabilem virum F. Ioannem Abbatem ac Religiosos fratres ipsius Conuentus Monasterij Tinecen: ex vnâ, & Nobilem virum D. Eustachium Lublinensem Castellanum parte ex altera, super iuribus & limitationibus bonorum seu possessionum infrascriptarum, videlicet oppidi Kolaczyce, Sandkowa wola, Brzyska & Masleskowa wola, quarum idem Eustachius à multis retroactis temporibus possessionem habuit corporalem, exorta fuisset materia quæstionis; cumq; pro parte dicti Abbatis & Conuentus agebatur, quod prædicta bona & possessiones in quibus dictus Eustachius sibi ius proprietatis & dominij vendicare videbatur, fortius & potius ad dictum Tinecense Monasterium debeant spectare & pertinere, hoc ipsum per Priuilegia prædecessorum nostrorum videlicet claræ memoriæ Domini Boleslai Regis Poloniæ, & Domini Lesconis Ducis Cracouiæ, ac per viciniam seu Osadam notabiliter demonstrando: Nos itaq; cognito æquitatis iudicio, volentes finem controuersijs & litibus imponere, causam huiusmodi mediantibus nostris Baronibus duximus terminandam, in hunc modum. Primùm namq; per amicabilem compositionem, pronuntiauimus decernentes, quod sæpedicti, Abbas & Conuentus, nomine sui

Monasterij prædicti, hæreditates seu villas supradictas, videlicet oppidum Kolaczyce, Sandkowa wola, Kluczowa wola, Brzyska, & Masleskowa wola, in Districtu Becensi ex vtraq; parte fluuij qui Wisłoka vulgariter nominatur consistentes, cum omnibus & singulis vtilitatibus, censibus, fructibus, reditibus, & prouentibus, in siluis, boris, campis, rubetis, agris pratis, pascuis, aquis ac alijs vniuersis quæ sunt vel esse poterunt in eisdem, prout ab antiquo in suis limitibus sunt distinctæ, debeant perpetuis temporibus obtinere ac possidere, & ad ipsum Monasterium pertinere pacificè & quietè, perpetuum silentium dicto Eustachio, & suis legitimis successoribus, super prænominatis hæreditatibus, imponentes. Demum verò vt præmissa litigia & controuersiarum concertationes, pro commodo partis vtriusq; sopiantur, circumferentijs præmissarum hæreditatum rationabiliter limitatis, bona seu hæreditates, videlicet oppidum Pilsno, & Strzegoczyce, quæ ad dictum Monasterium Tinecense pertinebant à tempore quò non extat memoria, eidem Eustachio & suis legitimis successoribus perpetuo cesserunt, per modum amicabilis compositionis & permutationis (vt est præmissum) & legitimè deuenerunt cum omnibus & singulis vtilitatibus quæ in terra & aqua sunt vel esse poterunt quomodolibet in eisdem, prout dictus D. Abbas & Monast: Tinecense ipsas hæreditates Pilsno & Strzegoczyce in suis circumferentialibus granicijs distinctas, temporibus suis tenuerunt & possederunt, & prout in Priuilegijs Scultetorum, dictarum hæreditatum, de extensione longitudinis quæ vulgariter *Dluz* nominatur, & latitudinis mensurata plenius continetur. Præterea quæcunq; vltra dimensionem camporum & siluarum per contiguitatem ad bona Tinecensis Monasterij protensa fuerint, idem Monasterium in perpetuum possidebit & habebit, impedimento sæpedicti Eustachij & suorum successorum penitus quiescente. Quamquidem ordinationem & compositionem per Barones nostros vt præmittitur sic ritè & rationabiliter factam, de solita nostra Regiæ Maiestatis benignitate, pro parte D. Ioannis Abbatis & ipsius Monasterij Tinecensis sæpedictorum gratuitò confirmamus & approbamus, harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Actum Cracouiæ in die B. Dionysij sub anno Domini MCCCLIV. præsentibus his testibus Imramo Cracou: Ioanne Sendomiriensi Palatinis &c. Datum per manus D. Sbignei Cancellarij Curiæ nostræ Cracouiensis.



SCRI-

SCRIPTVRA XVIII.

SVMMARIVM.

Anno 1362.

CASIMIRVS MAGNVS REX POLONIÆ.

Abbatis & Fratrum Tinecensis sodalitij erga se affectum promptissimum expertus, vicissim condonat eis Stationes pro Rege seruientes de Opatowiec, tum octo villarum specificatarum cmetones, à laboribus, conspationibus, & alijs pensionibus Regi debitis, absoluit; insuper octo Scultetos eorundem & duos Nobiles pro Arcis Tinecensis custodia eligendos, ab expeditione bellicâ tunc indicta eximit.

Habetur in Arch: Tinec. sub lit: H. *num:* 2

IN nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Consueuerunt alta Regum & Principum consilia, æquo iustitiæ moderamine habito, suos sequaces & maximè Spirituales ac Religiosos viros, apud Deum humiles ac deuotos exoratores ipsorum, præclara benignitate & inclytâ suâ clementiâ tueri & remunerari. Proinde Nos CASIMIRVS Dei gratia Rex Poloniæ, vniuersarum terrarum Russiæ, nec non terrarum Cracou: Sendom: Lancic: Pomeran: &c. Dominus & heres. Significamus tenore præsentium quibus expedit vniuersis præsentibus & futuris præsentium notitiam habituris, quod Venerabilis Vir Dominus Ioannes Abbas Monasterij Tinecensis, Confessor Noster specialiter nobis carus, euntibus nobis & properantibus ad bellum contra quosdam nobis rebelles Ruthenicos & Lituanicos exercitus, inuadentes stationes terrarum nostrarum, à nobis postulatus & rogatus, vt suâ ex parte aliquali certâ summâ pecuniæ succurreret in tam repentino motu; qui fidelissimè ad obsequia nostra conflans argentum, & margaretas Ecclesiæ suæ impignorans,, (prout experti sumus in & post) nullo homine sciente præter suos Fratres Viros Religiosos, anhelando & desiderando à nobis fauoribus & gratia nostrâ se amplecti; subuenit nobis Duobus millenarijs Marcarum monetæ Polonicalis. Proinde Nos habita consideratione diligenti, & ponderatis huiusmodi suis gratuitis correlatiuis erga nos beneficijs, assensuq; Consiliariorum præhabito super recompensatione & remuneratione ipsi D. Abbati cum Fratribus suis, præstandâ; cum à nobis id petant, & propter DEVM humiliter supplicent, vt sibi concederemus & daremus, labores

quos habemus super omnes cmetones ipsius Monasterij, & maldrata, stationes & aduectiones alias podvvody in omnibus ciuitatibus & Villis ipsius Monasterij. Quod quidem eorum petitum nobis illicitum & graue factu videbatur primò, nihilominus tamen, ne per nos tristari & fauore gratiæ nostræ frustrari viderentur, & pro sua speciali consolatione & orationibus Fratrũ ipsorũ pro nobis semper Omnipotentẽ DEUM, exorantiũ, & ob spem æternæ retributionis, de gratia speciali Maiestatis nostræ super Opatovviec stationem cum auectione videlicet podvvody, tum cmetones octo villarum eiusdem Monasterij, vt sunt Xiąznice maiores & minores, Modrzany, Piotrkovvice, Vrzuty, Opatkovvice circa Proszovvice, Charvvin, & Wilkovv, ab omnibus laboribus & maldratis alias vulgariter Sep, & quibusuis solutionibus ad nos de iure seu de facto pertinentibus; etiam adiungendo ad hæc, Octo Sculteros seu Aduocatos, & duos Nobiles vicinos, quos à nobis sibi donari rogauerant & absolui ab expeditione bellica præsenti in terras Ruthenorum facta, pro tuitione & defensione sui castri Tiniec quos sibi placuerit: primò ac principaliter ad laudem omnipotentis DEI, & ob reuerentiam Gloriosæ Virginis MARIÆ Matris eius benedictæ, ac Beatorum Apostolorum PETRI & PAVLI in quorum laudem sæpedictum Monasterium est fundatum, nec non ipsi Domino Abbati & Fratribus qui fuerint pro tempore perpetuis temporibus damus, tradimus, conferimus & donamus, annectimus, appropriamus, & incorporamus, renuntiantes omni iuri, & proprietati, & dominio, quod nobis quouis ingenio competere poterat, vel nostris Successoribus competeret. In quorum omnium euidentiam & testimonium perpetuæ firmitatis, præsens Priuilegium nostræ donationis, sigillo nostræ Maiestatis iussimus communiri subappenso. Datum Cracouiæ in Octaua Epiphaniæ Domini, sub Anno eiusdem MCCCLXII. præsentibus his testibus Ioanne Castel: Cracou: Ioanne Decano Cracou: Cancellario, Predborio Capitaneo Cuiauiensi, Bodzeta Procuratore Generali, Predborio de Brzezie & Andrea dicto Myszka, & alijs quam pluribus fide dignis, per manus Domini Cancellarij nostri. Scriptum per me Nicolaum Boëmum Notarium Curiæ, & Canonicum Ecclesiæ Vislicienfis.



SCRI-

SCRIPTVRA XIX.

SVMMARIVM.

Anno 1408.

IOANNES FREQVENTINENSIS EPISCOPVS.

Sacri Palatij Apostolici Causarum Auditor, à Gregorio PP. XII, *causæ inter Mscislaum Abbatem Tinecensem ex vnâ, & Nobiles Armigeros, videlicet Albertum Iudicem, Nicolaum Cztay Subiudicem, Tomkonem Camerarium, Terræ & Districtus Sendomiriensis; Ioannem Iudicem Terræ & Districtus Cracouiensis, Ioannem Militem de Russia, Petrum Biel Armigerum, Diœcesis Cracouiensis, parte ex alterâ specialiter Iudex deputatus: hic, cum Mscislaus Abbas vna cum suo Tinecensi Conuentu, præfatos Nobiles, propter violentam occupationem, & iam ab annis triginta iniustam detentionem villarum Monasterij Tinecensis videlicet Klecze, Blaszkowa, Bukowa, Ianuszkowice, Gogolowa, Glinnik, Siedliska, Brzesk, Mala, Gorzeiowa, Smarzowa, Dobrowa, Kamienica, Skorowa, per eosdem vsurpatarum; tum ob iniurias diuersas suo Conuentui subditisque eius graui cum incommodo suo ab illis illatas, ad Curiam Romanam facilioris iustitiæ consequendæ obtentu, euocasset: vigore Commissionis, in causa huiusmodi ritè procedens Iudex præfatus, adhibitis omnium terminorum obseruationibus, citationibus, libelli oblatione, & alijs in Iudicijs seruari solitis, dum citati Nobiles, in nullo terminorum tàm per se, quàm per suum plenipotentem satisfacere curarent, ob suam multiplicem contumaciam, in scriptis tandem latâ sententiâ eosdem excommunicat, & ordinato processu per Diœcesim Cracouiensem, & alias vbilibet, pro excommunicatis, à clericis denuntiandos in Ecclesijs, authoritate Apostolica mandat. Cuius Instrumenti, Excommunicationis, copias ob eius prolixitatem & in legendo moram describere hîc piguit: habetur nihilominus authenticum in membrana grandiori descriptum, & seruatur in Archiuo Tinecensi sub litera K. num: 1.*



INterim qualis euentus vlterior litis præfatæ extiterit, ignotum manet; nam ex villis prætactis pro quarum vindicatione laborauit Mscislaus, non nisi quatuor nunc in possessione sunt Monasterij, reliquæ à diuersis Nobilibus possidentur. Fuit vero violentissimum in Poloniâ illud tempus, à Natiuitate CHRISTI circiter anno 1370. & infra, quo passim seculares in bona Ecclesiasticorum grassabantur: eius calamitatis Mat: Miechouita suorum Chronicorum libro IV. capite 31. ita meminit. *Temporibus Regis Ludouici, nulla stabilitas, nullaue iustitia in Regno Poloniæ fuit, bona pauperum rapiebantur,*

bantur, negotiatores ac viatores spoliabantur, Prælati ac Nobiles cum suis rebus, equis & supellectili de Regno captiuati educebantur, exactiones sæpenumerò contra pacta & promissa Regis, tempore coronationis facta, exigebantur, sed Prælatis resistentibus, rarò soluebantur. Iniuriam passi pro complemento iustitiæ in Vngariam currebant, quos Rex ad Reginam Genitricem suam, & viceuersa Regina ad filium Regem Ludouicum remittebat: interim verò & literis Regiis apportatis, quæ ex Cancellaria Regis graui pecunia redimebantur, Capitanei minimè parebant, proprijs duntaxat commodis incumbendo. Et reuerà per annos Duodecim, quibus Ludouicus, Poloniæ præfuerat, ingens semper malorum cumulus Polonos oppresserat. cum enim in ipso primo Regni limine, ob condonatas Opoliensi Duci plures ciuitates, Polonorum odia incurrisset, relicto Regno in Vngariam Ludouicus secesserat, ne tamen Regno vltrò se abdicasse videretur, Matri suæ Elisabeth, Poloniæ regimen commiserat. Quare, absente Rectore; summis quibusq; facinoribus ingens spatium concessum; perniciosum legum silentium, insueta antea latrocinia, impotens, quà exterorum Vngarorum, quà domesticorum Nobilium, dominatus; ingentibus malis docuerunt, quantùm momenti Regnis adferat, Regalis præsentia. sub eundem calamitosi temporis decursum, quemadmodum aliæ in Regno Ecclesiæ, non modica sentiebant damna, ita infestius Monasterij Tinecensis villæ & prædia à Nobilibus impetebantur vicinis, qui grauiter ferebant tot fortunas Claustro obtigisse.

SCRIPTVRA XX.

SVMMARIVM.

Anno 1424. Ianuarij, 20.

CONCILII GENERALIS BASILEENSIS.

BVLLA, *ad Archiepiscopum Gnesnensem, Episcopum Cracouiensem, & Abbatem Clarotumbensem, supplicante Abbate & Monasterio Tinecensi, directa, in quâ.*

1. Lateranensis Concilij, Sententia Excommunicationis in seculares Principes exigentes taillas & collectas ab Ecclesijs & viris Ecclesiasticis, inducitur.

2. Eiusdem Concil: Later: decisio: Quòd inconsultâ sede Romanâ subsidia Reipublicæ concedi à Clero non possint, nec debeant,

3. Eiusdem Concil: cap: 4. Non minus. decretum quo statuitur, transgreßores Constitutionum.

stitutionum Concilij, si permaneant in Excommunicatione & decedant, etiam Successores eorum in eodem officio & potestate, manere Excommunicatos donec satisfaciant.

4 *Constitutiones Honorij III. Pont: adcitat.*

5. *Leges à Friderico II. Romanor: Imper contra impugnatores libertatis Ecclesiasticæ latas renouat, vbi prædictus Imperator, Statuta & Ordinationes quascunq; contra Ecclesiæ & Ecclesiasticorum libertatem à quacunq; Potestate per Imperium Romanum latas, irritat, & aboleri de legum Codicibus iubet, leges sic iniuriosas imponentes, iurisdictione exuit, & mille marcis auri mulctat.*

6. *Iudices qui secundum has leges iudicarent, infames denunciat, iudicata rescindit bona eorum à quocunq; diripi posse sinit.*

7. *Qui bona Ecclesiarum occupant, vt tripliciter refundant, & banno irremissibiliter subiaceant.*

8 *Si per annum Communitas, vel persona, in Excommunicatione insordescat, banno subsit.*

9. *Ne Clerici ad Iudices Seculares trahantur, alias iudicatum non tenere & Iudicem potestate esse priuatum.*

10. *Iudices si nolint Clericis iustitiam administrare, iurisdictionem amittant.*

11. *Carolus IV. Roman: Imper: Vndecim leges ibi expressas, & Ecclesiasticæ immunitati multùm aduersas, irritat & cassat, easq; tolli de luce mandat.*

12. *Presbyterum capiens, mutilans, vel incarcerans est infamis, nec locum in Consilijs habet.*

13. *Honorius PP. hortatur, vt istæ leges Imperatorum in Ecclesijs & Synodis publicentur.*

14 *Bonis Monasterij Tinecensis à plerisq; Contributiones fuisse impositas docet, & quia non erant persolutæ, Monasterij possessiones esse inuasas & occupatas.*

15. *Concilium, Executores præsentis Statuti monet, vt Monasterium Tinecense defendant, Concilij Constitutiones publicent. contemptores earum excommunicent tamdiu, donec ab exactionibus talibus desistant, occupata bona restituant, & iuramento confirment se in posterum similia non commissuros.*

16. *Si inuasores iurium Monasterij adiri personaliter non possint, per affixionem Citationum in loco publico, in ius vocandos esse, taliq; processu Citatos, omninò teneri & arctari.*

17. *Hæc Bulla exhibita fuit primùm Sbigneo Archiepiscopo Gnesnen: tum Friderico Cardin: & Archiep: Gnesnen: Abbati quoque Clarotumb: vti ex susceptis colligitur.*

Habetur in Archiuo Tinecen: sub litera C. num: 1.



acrosancta Generalis Basileensis Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, Vniuersalem Ecclesiam repræsentans, Venerabilibus Archiepiscopo Gnesnensi, & Episcopo Cracouiensi, ac dilecto Ecclesiæ filio Abbati Monasterij Clarætumbæ propè Cracouiam Ordinis Cisterciensis Salutem ac Omnipotentis DEI benedictionem. Ad compescendos conatus

nefarios peruersorum, qui personas & loca Ecclesiastica, super bonis & iuribus suis offendere, ac multiplicibus perturbare molestijs non verentur, tantò magis per Sacrum Generale Concilium decet opportuno remedio prouidere, quantò peramplius turbationes huiusmodi & molestiæ in Diuinæ Maiestatis offensam, nec non libertatis Ecclesiasticæ redundare dispendium, dignoscuntur. Dudum siquidem cum in diuersis Mundi partibus, Consules ciuitatum & Rectores, nec non alij qui potestatem habere videbantur, tot onera frequenter imponerent Ecclesijs, vt deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videretur, quàm sub Pharaone fuisset, qui Legis Diuinæ notitiam non habebat, quique omnibus alijs seruituti subactis, Sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministrauit. 1. In Concilio Lateranensi, Ecclesiasticæ immunitati prouidendo, sub Anathematis districtione prohibitum extitit, ne Consules, Rectores, aut alij prædicti, Ecclesias & viros Ecclesiasticos taillijs seu collectis, aut exactionibus alijs aggrauare præsumerent, transgressores & fractores eorum præcipiendo Anathematis sententiæ subiacere, donec satisfactionem impenderent competentem. 2. Et etiam deinde in Generali Concilio editum fuerat, quod si Episcopi fortè cum Clericis simul, etiamsi tantam necessitatem vel vtilitatem inspicerent: vt absq; vlla coactione ad releuandas communes vtilitates vel necessitates, vbi laicorum non suppeterent facultates, subsidia per Ecclesias laicis ducerent concedenda, minimè super hoc consulto Romano Pontifice; concessiones & sententiæ quæ à talibus, vel de ipsorum mandato forent promulgatæ, essent irritæ & inanes, nullo vnquam tempore valituræ. 3. Ac etiam in ipso Generali Concilio decretum extitit, illum, qui infra tempus sui regiminis, propter fractionem Constitutionis vel sanctionis huiusmodi, sustineret anathema, tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus, nec non ipsius successorem qui non satisfaceret infra mensem, manere Ecclesiasticâ censurâ conclusum, donec satisfaceret competenter, cum succederet in onere qui substitueretur in honore 4. Postmodum verò fel: rec: HONORIUS PP. III. Rom. Pontifex attente considerans. 5. quod quondam, FRIDERICUS II. olim Romanus Imperator, tunc sub obedientiâ & deuotione S. R. Eccl: persistens, ad laudem Ecclesiæ & Sacri decus Romani Imperij cupiens, vt expurgatis quibusdam erroribus & iniquis statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ, plena vigerent quiete & securâ libertate gauderent, ac piè & iustè attendens, quod quorundam peruersorũ iniquitas adeò abundauerat, vt non dubitarent contra Ecclesiasticam disciplinam & Sacros Canones, statuta sua compingere aduersus Ecclesiasticas personas & Ecclesiasticam libertatem; Edictali lege huiusmodi statuta iniqua irritauerat, & præceperat irrita nuntiari & omnia statuta & consuetudines, quæ Ciuitates & loca, Potestates vel Consules, aut quæcunq; aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ, vel personas Ecclesiasticas ac bona

huiusmodi edere aut seruare tentarent, contra Canonicas vel Imperiales sanctiones, de ipsorum Capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicationem penitus aboleri facerent, & si de cætero talia attentarent, illa ipso iure decreuit esse nulla, & eos sua iurisdictione priuatos; nec non locum vbi talia deinceps præsumpta fuissent, Banno mille marcarum auri, Fisco Imperiali præceperat subiacere. 6. Potestates verò, Consules, Statutarij, & Scriptores Statutorum prædictorum, nec non Consiliarij locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memorata iudicarent, ex tunc essent ipso iure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliqualiter non tenere: quodq; si per annum præfatarum Constitutionum inuenti forent contemptores, bona eorum per totum Imperium mandauit impunè ab omnibus occupari, saluis nihilominus alijs pænis contra tales in eisdem Generalibus Concilijs promulgatis, 7. Et insuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla Communitas vel persona publica vel priuata, collectas seu exactiones, angarias vel perangarias Ecclesijs, vel alijs pijs locis, aut Ecclesiasticis personis huiusmodi imponere, seu inuadere Ecclesiastica bona præsumerent, quod si secus facerent, & requisiti ab Ecclesia vel Imperio, huiusmodi emendare contemnerent, tripliciter refunderent, & nihilominus Banno Imperiali subiaceretur, quod sine satisfactione debita nullatenus remitteretur. 8. Statuit insuper, quod quæcunq; Communitas vel persona, per annum in Excommunicatione propter libertatem Ecclesiæ violatam persisteret, ipso iure similiter dicto Banno Imperiali subiaceret, à quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento. 9 Et insuper ordinauerat, ne vllus Ecclesiasticam personam in Criminali quæstione vel Ciuili, ad iudicium seculare trahere præsumeret, contra easdem Canonicas sanctiones & Constitutiones Imperiales, quod si secus faceret, Actor à suo iure caderet, & iudicatum non teneret, & Iudex ex tunc iudicandi potestate priuatus, 10. quodque Iudices temporales qui Clericis & personis Ecclesiasticis iustitiam denegare præsumerent, tertiò requisiti, suam iurisdictionem amitterent. 11. Et deinde ad audientiam Diuæ memoriæ Caroli IV. etiam Romanorum Imperatoris semper Augusti deducto, quòd nonnullæ seculares personæ in Potestatibus & Officijs publicis constitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, milites & alij Domini temporales, nec non Consules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores, in diuersis Prouincijs eiusdem Imperij, DEI timore postposito statuta singularia & iniquas ordinationes, motu proprio, de facto, contra ipsas personas Ecclesiasticas & Ecclesiarum libertates, & eorum Priuilegia condiderant, illisq; de facto & publicè vtebantur, contra Canonicas & legitimas sanctiones; vt potè quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferrentur; & ne Clerici in Sacris Ordinibus constituti ad agendum & testificandum in Ciuilibus & maximè in pijs causis aliquatenus admitterentur; quodq; Excommunicati

nicati laici & publicè denunciati, in Ciuili foro minimè repellerentur; & insuper prædicti Domini temporales, Consules ac Rectores, per secularem p testatem res & bona Clericorum occuparent, arestarent, & oblationes Christi fidelium minuerent atq; restringerent, exactiones & tailias indebitas, de bonis & reditibus Ecclesiarum exigerent & extorquerent; possessiones Ecclesiarum & personarum earundem deuastarent incendijs & rapinis; Contractus inter Clericos & laicos factos legitimè, ad libros Ciuitatum, villarum & locorum prædictorum inscribere & sigillare recusarent; donataq; & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras, contra Prælatorum voluntatem & aliorum quorum intererat, temerè vsurpare p æsumerent; ac in fraudem & odium clericorum, de bonis etiam & rebus eorundem Clericorum, quæ non causa negotiationum sed pro eorum proprijs vsibus, per eorum terras ducebant seu duci faciebant, teloneum exigere ac recipere non verebantur; & confugientes ad Ecclesias & eorum cemeteria de inde extrahere contraCanonicas&Imperiales sanctiones huiusmodi præsumpserant&præsumebant. Idem Carolus Imperator tanquā Christianissim⁹ Princeps volens in præmissis prouidere de remedio salutari, etiam de quorundam Ducum, Principum, Comitum, Baronum, militum fideliumq; aliorum Sacri Imperij sæpè dicti consilio, Authoritate Imperiali, quæcunq; statuta ac consuetudines prædicta, tanquam per Canonicas & Ciuiles sanctiones expressè reprobata cassauit, irritauit & annihilauit, ac cassa, irrita, nullius esse voluit roboris vel momenti: præcipiens sub Imperialis Banni pæna, vniuersis & singulis Principibus & Dominis temporalibus, Consulibus, Potestatibus & alijs in officijs publicis in eodem Imperio constitutis, quatenus ex tunc ipsorum Statuta & Ordinationes, sicut in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis edita fuerant, omninò reuocarent & de luce tollerent, quodq; secundum ea non iudicarent amplius, nec sententias dictarent, aut eisdem in iudicio vel extra iudicium quomodolibet pro se & contra eandem Ecclesiasticam libertatem poterentur. 12. Pronuntiauit insuper & eadem decreuit authoritate, quatenus quicunq; laicus cuiuscunq; statûs aut conditionis existeret, ausu Sacrilego & propriæ authoritatis audaciâ, Sacerdotem vel Clericum secularem vel Religiosum diffidaret, proscriberet, captiuaret, spoliaret, occideret, mutilaret aut in carcere detineret, vel huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaret, vel eis fauorem præstaret, præter pænas à Sacris Canonibus & legalibus sanctionibus in tales inflictas, eo ipso redderetur infamis & omni honore priuatus, nec ad placita vel consilia Nobilium admitteretur quouis modo 13. Hortans insuper in Domino & requirens Ecclesiasticos Prælatos, in illis partibus in quibus committerentur talia constitutos, vt legem Imperialem huiusmodi per eorum Ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores huiusmodi per simulatam ignorantiam suam valerent in hac parte malitiam excusare, prout in Constitutionibus & Sanctionibus Conciliorum, & Honorij prædictorum ac

Imperia

Imperialibus præfatis plenius continetur. 14. Cum autem ficut lamentabili querela, Dilectorum Ecclesiæ filiorum Abbatis & Conuentus Monasterij Tinecensis Ordinis S. BENEDICTI Cracou: Diœcesis, nuper accepimus, quomodo nonnulli Principes, Duces, Barones, Communitates & alij seculares & Potestates, earundem Constitutionum & Sanctionum Canonicarum legalium forsan ignari, contra ipsos Abbatem & Conuentum communiter vel diuisim forsan, taillias & gabellas, ac alias exactiones illicitas hactenus extorserint, & adhuc extorquere nituntur, ac etiam bona Abbatis & Conuentus prædictorum communiter vel diuisim inuaserint, arestauerint, occupauerint, detinuerint, & suis vsibus applicauerint, nec non occupare, inuadere, arestare, detinere, ac eadem suis vsibus applicare similiter defacto præsumant, in animarum suarum periculum, nec non Abbatis & Conuentus præfatorum, non modicum præiudicium atq; damnum. 15. Nos in præmissis, dictis Abbati & Conuentui, de opportuno remedio prouidere volentes, Discretioni Vestræ tenore præsentium in virtute S. Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus vos vel duo, aut vnus vestrum, per vos vel alium seu alios, præfatis Abbati & Conuentui Tinecensi contra quoscunq; transgressores & violatores Constitutionum & Sanctionum earundem, cuiuscunque status, dignitatis & excellentiæ fuerint, efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis eos contra Canonicas & legales sanctiones & constitutiones huiusmodi indebitè molestari, nec non easdem Constitutiones & Sanctiones, vbi & quando expedire videritis, solenniter publicantes, faciatis transgressores & violatores huiusmodi, si & prout iustum fuerit, ac vbi & quoties expedierit, tamdiu Excommunicatos, anathematisatos, publice nuntiari, donec ab earundem taillarum, collectarum, impositionum, & quarumlibet extorsionum, nec non bonorum Abbatis & Conuentus huiusmodi inuasione, arestatione, occupatione, detentione & applicatione omnino desistant; nec non etiam efficaciter restituant eisdem (Abbati & Conuentui occasione præmissorum per eos communiter vel diuisim) læsis seu grauatis, taillias, gabellas, & exactiones ipsas, ac etiam bona ipsorum Abbatis & Conuentus arestata, occupata, detenta, & applicata communiter vel diuisim, ipsis quæ vel per se vel alios, illo prætextu quomodolibet receperint, imò verius temerè & illicitè vsurpauerint, à se liberè omninò relaxent; ac in manibus vestris iurauerint, quod de cætero talia non committant, & ea committentibus non præstent auxilium, consilium vel fauorem; contradictores per censuram Ecclesiasticam & alia iuris opportuna remedia compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. 16. Cæterum, si forsan huiusmodi transgressorum aut violatorum, vel ea fieri mandantium, ipsisq; consentientium seu dantium illis, per se vel alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, consilium, auxiliũ, vel fauorẽ, præsentia pro monitionib⁹ & requisitionib⁹ per vos de ipsis fiendis tutè, securè, vel commodè haberi nequiret, Nos vobis Monitiones & requisitio-

quisitiones huiusmodi ac citationes quaslibet, per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis coniectura quod ad notitiam dictorum citatorum & monitorum huiusmodi peruenire valeant faciendi plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem: Volentes quod monitiones, requisitiones & citationes huiusmodi, perinde ipsos citatos, requisitos & monitos vt præmittitur arctent, ac si ipso facto, & insinuatè, præsentialiter & personaliter extitissent citati. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacij PP. VIII. quib⁹ cauetur, Ne aliqui extra suam ciuitatem vel Diœcesim eorundem nisi in certis exceptis casibus & in illis, vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocentur, seu ne Iudices extra ciuitatem & Diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscunq; procedere, aut alij vel alijs vices suas committere, seu aliquos vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis eodem trahere præsumant; dummodo vltra duas dietas aliquis authoritate præsentium non trahatur, ac de personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, quam alijs Constitutionibus Apostolicis contrarijs quibuscunq;, aut si alicui communiter vel diuisim à sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, vel extra certa loca ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Basileæ, XIII. Kalendas Februarij Anno à Natiuitate Domini M. CCCCXXIV. Ioan: de Sconsene triginta soldrino.

P. de Vitedono cor. — Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis. — Brunet. mpa.



SCRI-

SCRIPTVRA XXI.

SVMMARIVM.

Anno 1456.

CASIMIRVS III. REX POLONIÆ.

1. Priuilegia, donationes, exemptiones, literas omnes à prædeceßoribus suis Regibus & Ducibus Poloniæ, Tinecensi Monasterio conceßas confirmat in solidum.

2. Oppida & villas in quarum reali pro tunc poßeßione fuit Monasterium enumerat.

3 Enumeratas villas ex Iure Polonico in Ius Magdeburgense in toto transfert, earumq; incolas apud solos Scultetos iudicari debere statuit.

4. Sculteti plenam potestatem Criminales iudicandi causas ratam facit, à quibus si prouocari deberet, ad solum supremum Iudicem Monast: Tinec: prouocandum eße decernit.

Habetur in Archiu: Tinec: sub litera A. num: 15.



IN nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos CASIMIRVS Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracouiæ, Sendomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Magnus Dux Lituaniæ, Pomeran: Russiæ, Prussiæ, Dominus & heres. Significamus tenore præsentium quibus expedit vniuersis, præsentibus & futuris harum notitiam habituris. Quod quamuis subditorum nostrorum petitiones licitas & honestas, ad gratiam exauditionis admittimus, illas tamen feruentiori zelo, decretis nostris perennamus, quæ Sacrarum ædium & piorum vsuum redolent commodum & profectum. Oblatam igitur Maiestati nostræ pro parte Venerabilis ac Religiosi Matthiæ Abbatis, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis, Fratrumq; Religiosorum, Conuentus ac Monasterij Tinecensis deuote nobis dilectorum, recepimus petitionem in se continentem, vt de nostra innata Regiæ dignitatis benignitate, ipsius Monasterij Iura, libertates, immunitates, donationes, dotationes & exemptiones, quas à felicis recordationis Regibus & Ducibus Poloniæ prædecessoribus nostris habent & obtinent, confirmare, ratificare, & approbare dignaremur. Nos verò prædecessorum nostrorum vestigijs, qui dictum Monasterium Tinecense, in remissionem suorum criminum, ac ob salutem animarum, pijs eleemosynis dotauere inhærentes, supplicationiq; tanquam rationabili, iustæ ac honestæ, dictorum Abbatis & Fratrum, zelo deuotionis permolliti annuentes, volentes & diem extremi iudicij pijs & benignis operibus præuenire, de nostra certa

scientia & voluntate, præhabita sufficientissima deliberatione, animo beneuolo, & consilio nostrorum Consiliariorum ad id accedente, memoratis Matthiæ Abbati, Fratribusq; Tinecensis Conuentus, Monasterij quæquè, ac ipsorum iura, libertates, immunitates, literas, & priuilegia Ecclesiastica & secularia, quæ à Diuæ memoriæ Regibus ac Ducibus Poloniæ prædecessoribus nostris, veris & legitimis heredibus, super quæcunq; bona & libertates habere dignoscuntur, sub quibuscunq; datis in vita ipsorum, iustè & rectè emanatas, quas & hic habere volumus pro insertis, in omnibus earum punctis clausulis, capitulis, conditionibus, positionibus, articulis vniuersis, ratificamus, innouamus, gratificamur, approbamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus, decernentes ipsa robur perpetuæ obtinere firmitatis. 2. Et quia per diuturnum fluxum temporis, nonnulla bona, hæreditates, ac villæ, de possessionibus dictorum Abbatis & Fratrum Conuentus Tinecensis exciderunt, quædam verò post donationẽ ipsi Monasterio factã sunt plantatæ & nouiter erectæ, quarundã verò villarum nomina in priuilegijs prædecessorum nostrorũ contenta ac designata, sunt immutata: Ne igitur temporis successu, dictum Monasterium Tinecense aliquibus subiaceat grauaminibus, oppressionibus, seu damnis, bona, oppida, hereditates, ac villas infrascriptas, Tiniec, Piekary, Cieiowice, Roczna, Smierdzoca, Liszki, Kaszow, Nowa wies, Przeginia, Czerniechow, Rybna, Czułow magna, Czułowek parua, Baczaczyn, Grodziec & Regulice propè Tenczyn, skawina oppidum, Sztimbork, Sidzina, Boianowice, Bukowice, Zorzow, Radzieszow, Bronacowa wola, Powozowice, Łaczany, Opatkowice super Vilga fluuium, Golikowice, Siercza, Bodzanow, Lapczyca, Koianow circa Bochnia, pogwizdow, Mniszskowice, Rudka, Kargow propè Radłovv, Opatkovvice sub Mellsztyn, Vιazd, Zdania, Choynik, Babioniovvice, Siedliszka, Mefzna, Luboszovva, Dąbrovvka, Tuchovv oppidum, Gromnik, Golanka, Zborovvice propè Cieszkovvice, Kvviatonovvice, Zagorzany, Demborzyn, Kamienica, Zagorze, Kavvczyn, Brzostek oppidum, Ianuszkovvice, Brzostkovvska vvola, Klecze, Brzeska, Klodavva, Viazd, Wroblovva, Lipnica, Bączal, Golesz castrũ, Kolaczyce oppidũ, Kraiovvice, Bryły, Warzyce, Niepla, Chrząstovvka, Bi ovvka, Czelusnica, Vniescz, Prądnik circa Cracouiã, Wilkovv, Charvvin, Wegrzynovvice, Opatkovvice propè Proszovvice, Szvvancice, Opatkovvice circa Scarbimiriam, Opatkovvice propè Andrzeiovv, Modrzany, Dolany, Okulice, Xiąznice magna, Xiąznice parua, Opatovviec oppidum, Piotrkovvice, Vrzuty, quæ in terris Cracouiensi, Sendomiriensi, Becensi & Osuecimensi, siue Zatoriensi, ac earundem districtibus locata ac locatas, sita ac sitas, in quorum impræsentiarum prælibati Abbas & sui Fratres Conuentus Tinecensis duntaxat, sunt reali & actuali tenuta ac possessione, memorato Monasterio adiungimus, appropriamus, incorporamus & inuisceramus præsentibus, per ipsum Abbatem & Fratres eiusdem Conuentus, tenenda, habenda, possidenda, & vtifruenda perpetuis temporibus ac æuiternis. 3. Quæ quidem supra scripta bona, villas, oppida & hæreditates prout in suis metis & graniciebus

longè

longè latè & circumferentialiter sunt limitata & distincta, de Iure Polonico & quouis alio, in Ius Teutonicum quod Magdeburgense dicitur transferimus tenore præsenti perpetuo duraturo; remouendo ibidem omnia Iura Polonica, modos & consuetudines vniuersas, quæ ipsum Ius Teutonicum plerumq; consueuerunt perturbare. Eximimus insuper & perpetuo liberamus omnes & singulos incolas cmetones & quosuis oppidorum & villarum prædictarum inhabitatores, ab omni iurisdictione, iudicio, & potestate, omnium Regni nostri Dignitariorum, officialium, Palatinorum, Castellanorum, Iudicum, subiudicum, Succamerariorum, ac ipsorum ministerialium, vt coram ipsis aut ipsorum aliquo, pro causis magnis siue paruis puta furti, incendij, sanguinis effusionis, & membrorum mutilationis, & alijs quibuscunq; enormibus excessibus, citati minimè respondeant, nec aliquas pœnas soluere teneantur, sed tantum prædictorum oppidorum, ac villarum incolæ, coram suis Aduocatis, Sculteтis, ac Iudice dicti Monasterij Tinecensis, qui pro tempore fuerint: Aduocati verò & Sculteti, & hoc si in reddenda iustitiæ plenitudine fuerint negligentes ac remissi, coram Iudice dicti Monasterij Tinecensis, non aliter quàm suo Iure Teutonico Magdeburgensi prædicto, de se querulantibus respondere sint astricti. 4. In causis autem Criminalibus vel Capitalibus, Aduocatis vel Sculteтis oppidorum vel villarum prædictarum, in graniciebus suis, iudicandi, sententiandi, puniendi, corrigendi, condemnandi plenam damus & concedimus omnimodam potestatem ac facultatem præsentium per tenorem; prout hoc ipsum Ius Teutonicum Magdeburgense in omnibus suis articulis, capitulis & punctis postulat & requirit, harum quibus sigillum nostrum præsentibus est subappensum testimonio literarum. Datum Cracouiæ feria quarta proxima post festum S. FRANCISCI Confessoris Anno Domini M cccc LVI. præsentibus ibidem Rdo in Chro. Pre. Dno. Thoma Dei gratia Episcopo Vendensi, Magnificis & Generosis, Ioanne de Czyzovv Castellano & Capitaneo, Ioanne de Tenczyn Palatino, Creslao de Kurozvvanki Castellano Lublinensi, Creslao Woysczyk de Svvoyca Succamerario, Nicolao Chomstovvski Tribuno Cracouiensibus. & alijs quampluribus testibus circa præmissa Datum per manus Venerab: D. Ioannis Lutkonis de Brzezie V. I. Doct: Archidiaconi Gnesnen: Sacri Pal: Apost Causarum Auditoris & Regni Pol: Vicecancellarij sincere nobis dilecti.

SCRIPTVRA XXII.

SVMMARIVM.

Anno 1482.

Doctores & Collegæ Academiæ Cracouienſis, ſubmiſſionem faciunt Abbati & Monaſterio Tinecenſi de cenſu quotannis ſoluendo ex laneo Promnicenſi, deq; oneribus perferendis, & honore D. Abbati præſtando, ratione illius agri, in cuius poſſeſſione ijs conditionibus conſeruatur Præpoſitus S. NICOLAI.

Ex Archiuo Tinec.



N nomine Domini Amē. Ad perpetuā rei memoriā, Nos Stanisla⁹ de Brzezyny Canon: Eccl: Colleg: S. FLORIANI, & Rector; Ioannes de Oſvviecim Theologus, & Cuſtos eiuſdem Eccleſiæ, Sacræ Theologiæ Profeſſores. Clemens de Piotrkovv Decretorum Canonicæ, Ioannes de Regulis Medicinæ, Doctores; & Martinus de Caſimiria Artiſticæ, Decani Facultatum & Magiſtri Artium, totaq; Vniuerſitas Studij Cracouienſis. Vt charitatis bonum, quæ omnium virtutum mater eſt, cum decore bonarum virtutum augeamus, & in ea proficiamus, & ſcandalis, diſſenſionibusq; omnibus viam præcludamus, ſtatuimus & in animis noſtris diu deliberantes diſpoſuimus, cum Rmo. Patre Venerabilibusq; & Religioſis Viris, Dominis Andrea Abbate, Ioanne Priore & Cuſtode, Iacobo clauigero & Præpoſito Infirmorum, Ioanne Vicepriore, Gregorio Theſaurario, cæteriſq; Patribus ac Fratribus Venerabilis Conuentus Monaſterij Tinecenſis Ordinis S. BENEDICTI Diœceſis Cracouienſis, Statuere & firmare pacem perpetuam, & fædus ipſius firmiter & irrefragabiliter obſeruandum, ſub conditionibus & clauſulis infraſcriptis. Inprimis ſtatuimus & ſancimus hinc inde, quod Laneus ſiue Ager, quem olim Stanislaus Bukay Cmeto de Pradnik teſtamentaliter & irreuocabiliter legauit pro Eccleſia Parochiali Sancti NICOLAI extra muros Cracouienſes, in antea & in perpetuum Iure perpetuo & irreuocabili pertineat & ſpectet ad ipſam Eccleſiam & Rectorem qui pro tempore fuerit: quodq; Plebanus agrum illius lanei liberè & quietè iure perpetuo poſſidebit, arabit, colet pro ſe & Eccleſia ſua, ſiue dabit colendum cui voluerit, abſq; præiudicio Monaſterij Tinecenſis, cum conſenſu Abbatis & Conuentus tunc præſidentis. Item plebanus S NICOLAI occaſione fructuum dicti lanei ſiue agri, ſoluet præfato Monaſterio Tinecenſi cenſum annu-

alem

alem singulis annis pro festo S. MARTINI debitum, more aliorum Cmetonum lanealium. Item, omnia onera iuxta consuetudinem hæreditatis Pradnik & aliorum Cmetonum feret & soluet, in nullo penitus se eliberando extra consuetudinem prædictam: quodq; Iudicijs Magnis & Paruis intererit, per se vel per alium, locum suum scabinalem locando homine bono & bene possessionato, & Ius villæ prædictæ habente: & quod deferre debebit honori Domini Abbatis Tinecensis pro tempore existentis & Successorum suorum, subditum ipsorum se recognoscendo. Casu autem, quo præfatus Plebanus fortasse contumax seu rebellis esse voluerit, & onera prædicta ferre noluerit, & soluere seu subire renuerit; ex tunc Dominus Abbas prædictus poterit per se, vel per alium officialem suum quem placuerit, prædictum Plebanum pignorare in laneo prædicto, quem debet locare homine & pecoribus, perinde ac si ipse Dominus Abbas seu officialis suus ad hoc deputatus, ingressus fuerit domum seu fundum alicuius alterius cmetonis seu rustici præfati Monasterij. Statuimus etiam quod præfatus ager siue laneus censeatur Iuris Ecclesiæ præfatæ Sancti NICOLAI, quem deinceps vnimus & incorporamus, annectimus & perpetuo inuisceramus Ecclesiæ illi, cum omnibus & singulis suis obuentionibus, vtilitatibus, agris, pratis, campis, pascuis, areâ & dependentijs connexis singulisperpetuo habendũ vendendũ commutandũ, & in vsus beneplacitos conuertendum proutq; alias sibi, Domino Plebano & Successoribus suis, vtile & commodum visum fuerit, nostro tamen consensu ad id accedente. In cuius rei testimonium sigillum nostrum appendi iussimus. Actum & datum Cracouiæ Die Mercurij sexta Martij, anno Domini 1482.

SCRIPTVRA XXIII.

SVMMARIVM.

Anno 1560. Nouemb: 3.

ABBAS ET CONVENTVS TINECENSIS.

Magistris & Doctoribus Collegij Maioris in Alma Vniuersitate Cracouiensi, Canonicatum S. GEORGII *in Arce Cracouiensi cum Prabenda ad eundem Canonicatum ex antiquo spectante, villâ Bronowice & sorte seu medietate alterius villæ Rzaska; insuper & Ius Collationis seu Patronatus in posterum ad eundem Canonicatum præsentandi,*

 perpe-

perpetuũ futuris temporibus dant, donant & conferunt, cum omni iure & proprietate quam Monasterium habuit, præsentandi, fructus prabenda illius percipiendi, & alienandi vel commutandi pro beneplacito suo.

Habetur Instrumentum Donationis, in Archiu sub lit: S. *num:* 6.

IOannes Lovvczovvſki Diuina patientia Abbas Tinecenſis, Andreas Brzechwa Prior Sacri Conuentus in Tiniec Præpoſitusq; infirmorum, Staniſlaus Subprior, Hieronymus Krzyzanowski Cancellarius, Nicolaus Zakovvski & Staniſlaus Theſaurarij & cæteri omnes eiuſdem Conuentus Fratres. Manifeſtum facimus tenore præſentium vniuerſis & ſingulis quorum intereſt & intererit præſentibus & futuris; quoniam Nos ſingularem beneuolentiam atq; officia prompta Academiæ Cracouienſis, præſertim verò Doctorum & Magiſtrorum Collegij Maioris erga nos noſtrumq; Conuentum videntes, eorum item inopiam quâ circa Menſam premuntur expendentes, volenteſq; & beneuolentiam illis mutuam reddere, & inopiam illorum pro noſtra facultate ſubleuare, promptioreſq; atq; paratiores ad ſtudia publica propaganda, remq; publicam literariam [quæ eſt fundamentum Religionis & Eccleſiæ Catholicæ] ornandam reddere, quam pleriq; rebus neceſſarijs quærendis occupati, aut negligentius tractant, aut omninò, non ſine incommodo iuuentutis ſtudioſæ (quæ eſt ſeminarium Eccleſiarum) deſerunt. Conſtituimus Canonicatum in Eccleſia Diui Georgij in Arce Cracouienſi, eiuſq; Præbendam Bronovvice nuncupatam, vnà cum medietate ſeu ſorte integra in villa Rzaska ad eundem Canonicatum pertinente, noſtros etiam prædeceſſores qui ſuâ liberalitate Academiam dictam & ornarunt & auxerunt imitantes, in perpetuum Doctoribus & Magiſtris Collegij ſiue Domûs Maioris dare atq; donare, melioremq; in vſum quam hactenus erat, & in vtilitatem publicam conuertere. Igitur capitulariter congregati, benè deliberati, bonâ ac honeſtâ ratione adducti, de vnanimi conſenſu deq; ſcientiâ certâ ac voluntate noſtra, dictum Sacerdotium, Doctoribus & Magiſtris Collegij Maioris tantùm, in Academia Cracouienſi, dare & donare decreuimus, prout ex nunc damus & donamus, perpetuâ ac irreuocabili donatione ſupranominatum Canonicatum Eccleſiæ S. GEORGII in Arce Cracouienſi & Præbendam eius ſeu villam ſuburbanam Bronovvice, vnà cum medietate ſeu ſorte integrâ in villa Rzaska ad eundem Canonicatum pertinente, meri iuris, dominij, proprietatis ac poſſeſſionis noſtræ, cum omni iure, dominio, proprietate ac ſuperioritate noſtra, cum omnibus agris cultis & incultis, pratis, ſyluis, paſcuis, venationibus, colonis, cmetonibus, ſcultetis & Aduocatijs, earumq; poteſtate eximendi, redimendi, alienandi & in meliores vſus conuertendi, cum hortis, hortulanis, aquis, piſcinis, aquarum decurſibus, cum curijs, prædijs, eorumq; ædificijs, cumq; omnibus fructibus, cenſibus, laboribus, oneribus, reditibus ac vtilitatibus, quæ

nunc

nunc sunt & in futurum humanâ industria adinueniri poterunt. Et insuper cum Iure Patronatus seu Iure conferendi & præsentandi ad supradictum Canonicatum & Præbendam; quod quidem Ius omne in eosdem Doctores & Magistros Collegij Maioris transferimus, transfundimus, & plenariè illis conferimus, nihil iuris, dominij & proprietatis, pro nobis & nostris successoribus Abbatibus ac Fratribus Conuentus nostri Tinecensis, relinquendo ac reseruando, ita longè latè & circumferentialiter, quemadmodum prædictæ villæ Bronovvice & Rzaska in suis metis, limitibus, & finibus se extendunt, tenen: haben: possiden: vtifruen: non requisito etiam successorum nostrorum Abbatum & Conuentus consensu ad meliorem conditionem & euidentem vtilitatem Collegij Cracou: dand. donand: venden: commut: & in meliores vsus prout eisdē DD. Maioris Collegij Doctorib⁹ & Magistris melius & vtilius videbitur expedire conuerten. Quod autem attinet Ius Patronatus & conferendi dictum Canonicatum & Præbendam, illud sic vt suprascriptum est, damus donamus & conferimus inperpetuum donatione perpetua dictis DD. Doctoribus & Magistris, vt manus nobis & successoribus nostris claudamus, omni nostro Iuri quod nobis competebat, renuntiantes, & illud in eosdem Doctores & Magistros transfundentes, vt cumprimum & quotiescunq; in posterum hunc istum Canonicatum & Præbendam per cessum vel decessum Rdi. Dni Alberti Kiiovvski Canonici Cracouiensis, moderni eiusdem Canonicatus possessoris, siue ex quacunq; alia causa vacare contigerit, ijdem Doctores & Magistri in omni vacatione valeant ad illum, vnum è gremio ac è cætu suo Doctorem aut Magistrum in eadem Academia præsentem & personâ suâ præsentialiter manentem ac residentem, & labores solitos in ipsa Academia per se, & non per substitutos, obeuntem ac docentem, Rmo. in Chro. Pri. Dno Episcopo Cracou: moderno & pro tempore existenti, aut eius in Spiritualibus Vicario & Officiali, seu alteri ad id potestatem habenti præsentare tanquam veri, legitimi, ac indubitati Patroni & Collatores. Quod quidem Ius Patronatus dictorum Canonicatus & Præbendæ, supramemoratis Doctoribus & Magistris quantum in nobis est incorporamus, iuriq; & immunitati Ecclesiæ per Loci ordinarium adscribi petimus & consentimus, hac lege & conditione adiecta vt quisquis is fuerit præsentatus & institutus ad dictos Canonicatum & Præbendam, fructus ac reditus ex eis prouenientes non vnus solus habeat ac sibi ipsi vsurpet, sed potestas ista disponendi eosdem reditus penes Communitatem Collegij præfati Maioris semper remaneat perpetuò & in æuum. In cuius rei testimonium præsentes literas nostras, manibus nostris subscripsimus, & sigillis nostris appensis obsignauimus, etiam cum testimonio Notarij publici infrascripti. Datum in Conuentu nostro Tinecensi Die tertia Nouembris, Anno Domini M. D. LX. præsentibus circa præmissa Venerabilibus Valentino à Glembokie Decano Sandecensi, Alberto Wedrogovvski Plebano Samogostensi. Generosis Nicolao Poplavvski Capitaneo

Scaui-

Scauinensi, Petro Sulovvski, Stanislao Rzuchovvski Capitaneo Tinecensi. Nobilibus Gasparo Srzeniavva, Valentino Gruszczynski. &c.

Ioannes Lovvczovvski Abbas Tinecensis mps.

Andreas Prior & Præpositus.

Hieronymus Krzyzanovvski &c. Et ego Gregorius. Nicolai de Gostinin Clericus Diœcesis Plocensis Sacra author: Apost: Notar: publ: quia prædictæ Donationi &c.



SCRIPTVRA XXIV.

SVMMARIVM.

Anno 1560. Nouemb: 5.

DOCTORES ACADEMICI COLLEGII MAIORIS CRACOV.

1. *In contubernio dicto Ierusalem, habitationem cum fornace liberam, studenti in Academia Fratri Monasterij Tinecensis, in vim mutuæ beneuolentiæ donant.*
2. *Eundem Fratrem liberum à sexagena faciunt, imò decem grossos in septimanam eidem inscribunt & sumptum in Promotione Academicâ necessarium pollicentur.*
3. *In Monasterio Tinecensi Docentis Magistri, rationem in vocatione ad Collegium, Vniuersitatem habituram spondent.*
4. *Transgressores huius pacti obligatorij, vocandos esse in Ius & cogendos ad seruandum omnia.*

Habetur authent: in Archiu: Tinec: sub litera S. num 7.



Præpositus, Doctores, & Magistri Collegij Maioris Craccouiensis. Significamus tenore præsentium vniuersis & singulis præsentibus & futuris, quorum interest & intererit. Quoniam nos singularem beneuolentiam & amorem Rmi Pris. Diuina patientia Abbatis Tinecensis Ioannis Lovvczovvski totiusq; eius Conuentus in nos nostramq; Academiam expendentes, volentesq; mutuam illis beneuolentiam & gratitudinem declarare, legitimè & debitè per Præpositum Domûs conuocati, maturâ deliberatione vsi, statuimus & conclusimus, vt vni ex Fratribus dicti Conuentus Tinecensis habitationem liberam ab omni-

omnibus oneribus, quæ haberet caminum vel fornacem in Contubernio Ierusalem demus & assignemus, & apud Vniuersitatem obtineamus, vt consensu eius eam habitationem Frater Tinecensis Conuentus liberam semper habeat, vt sua studia com nodè tractare possit 2. Sitq; à solutione sexagenæ, quæ ratione ingressus datur, liber, atq; à quibusuis propinis. Habeat præterea ex nostris prouentibus grossos Decem in singulas septimanas pro subsidio & victu commodiore. Sumptum item ad promotionem Gradus Baccalaurei & Magisterij, vt à nobis habeat, vel gratis & sine impensa promoueatur, nos nostrosq; Successores bona fide obligamus & obstringimus curaturos. 3, Promittimus præterea & obligamus fidem nostram, si quem Magistrum R. D. Abbas & Conuentus ad docendum Fratres in Conuentu habuerit, eius labores nos reputaturos tanquam si in Vniuersitate laborauerit, & in Vocatione rationem nos eius habituros. 4. Quod si aliquid ex ijs neglexerimus aut implere non curauerimus, tum dictus Conuentus Tinecensis nobiscum & cum nostris Successoribus apud Rectorem Vniuersitatis aget, qui si remissior & negligentior fuerit in nobis nostrisq; successoribus ad præmissa præstanda cogendis, ex tunc dictus Conuentus Tinecensis apud loci ordinarium eiusque Officium Iure agat, ac suum ius & promissa sub Censuris Ecclesiasticis à nobis & successoribus nostris, cum damni & impensarum æstimatione petat. In quorum omnium robur & fidem, sigillum nostrum appendimus, manibusq; nostris, subscripsimus. Datum Cracouiæ in Collegio Maiori, Die quinta Nouembris Anno Domini MDLX. præsentibus Nobil: Lucâ Skarzynski, Melchiore Rayski, Nicolao Iasienski, Stanislao Boniecki, & alijs pluribus fide dignis.

M Iacobus Gorski Præpositus s. m. p. a.

M. Michael à Wislica S. T. Prof. Custos Ec: S. Flor: Consiliarius Domus Iunior m. p.

M. Albertus Leopoliensis Maioris Collegij Consiliarius Iunior m. p. e.

Respice Domine de sanctuario tuo super Domum istam in sempiternum.

Deuteron: 26. V. 15.



HISTORIÆ MONASTERII TINECENSIS

LIBER III.

In quo,

DISTINCTIONES III.

Continentur.

I. De SCVLTETIS & Emphyteutis Monasterij Tinecensis.

II. De Communicationibus Spiritualium operum, & Priuilegiorum, quas habet Tinecia cum diuersis Ordinibus, & Monasterijs.

III. Distinctio, 1. Antiquiores quasdam Tinecensium Consuetudines: 2. Sanctorum Reliquias in Ecclesia eiusdem Monasterij asseruatas: 3. Præcedentium Monachorum loci eiusdem literarios labores: 4. Nec non Particularia Monasteria à Tinecensi regimine dependentia, recenset enumeratque.

PRÆFATIO.



Æ illi laborem vtilem ſuſcipiunt, qui vel Hiſtorias integras ſcribunt, vel Hiſtoriarum fragmenta & Notationes corradunt. Non enim ſine cauſa, à M. T. Cicerone, Hiſtoria, cuius beneficio res geſtæ è tenebris in lucem proferuntur, & antiquorum hominum facta, ad poſterorum notitiam perueniunt, teſtis temporum, lumen veritatis, vita memoriæ, morum magiſtra, & nuntia vetuſtatis, appellata eſt. Porro neſcire, quid acciderit antequam natus ſis, eodem Cicerone teſte, hoc eſt ſemper eſſe puerum. Quæ ſane infantia prouecta, in rerum præteritarum ignoratione conſiſtens, in annoſis viris, ab Iſaiâ Propheta 65. 20. meritò deridetur, *Puer annorum centum morietur.* qui ſcilicet tanto temporis ſpatio, in incunabulis annorum verſabatur, & præterita ignorabat, vel ſcire negligebat. Laudatur verò in ſacris eloquijs, induſtria ſtudioſi antiquitatum viri, qui ſapientiam omnium antiquorum exquirit, qui ſcit noua & vetera, qui ob longam præteritorum annorum notitiam, ſenili prudentiâ viget, & grandæuam iudicij caniciem ſecum circumfert, tot annorum effectus homo, quot ſæculorum geſta animo ſuo fideliter eſt complexus. Neque verò ſolùm, ad iucundam animi oblectationem, rerum variarum multiplex cognitio eſt acquirenda, verùm etiam, ad morum vitæ emendationem, plurimùm confert rerum præteritarum narratio. Dum enim exemplis propoſitis, quid benè quid malè geſtum, & quis euentus quamque actionem conſecutus ſit, perſpicuis verbis oſtenditur, prudens cautuſque lector efficitur, vt & quid fugere debeat, facillimè per ſeipſum cognoſcere atque intelligere queat. Quare operæ pretium me facturum putaui, ſi res geſtas Maiorum noſtrorum, qui in hoc Sarmatico Tinecenſi Archi cœnobio, per ſexcentos annos conſeruati ſunt, poſteritati ætatique venturæ, tanquam in tabula depictas, proponerem, eaſque ab obliuione & interitu vindicarem, neque pietatem, labores, & induſtriam, plurium virorum grauiſſimorum cum annis elabi, & in æternum obliterari permitterem. In quo genere ſtudij, meo quidem experimento, non minimam partem conſecutus ſum, qui tertium hunc librum Hiſtoriæ Tinecenſis laborioſè contexui, in quo iacturam bonorum Monaſterij, multaſque alienationes & diſtractiones in poſſeſſionibus, cum graui damno peractas, defleui; antiquorum Monachorum noſtrorum non nullas induſtrias, & labores ſcripturarios extuli, ſacra diuorum pignora recenſui, loca particularia Tineciæ incorporata deſcripſi, veteres conſuetudines noſtratium fideliter explicaui. Quamuis autem tertius iſte liber propriè analecta dici debeat, quod multas materias in ſe contineat, quas diſtinctis paragraphis breuiter explicatas ante oculos ponit, omnes tamen ad clariorem notitiam Tinecenſis Domûs optimè deſeruiunt, neque ſolùm auditu iucundæ, ſed etiam ſcitu perutiles & neceſſariæ in eo recenſentur.

DI-



DISTINCTIO I.

In qua,

De Vasallis Et Scvltetis, MONASTERII TINECENSIS.



ÆTerum ex illâ, quam diuersa Priuilegia Archiui Tinecensis testantur, tam copiosâ bonorum affluentiâ, & amplissimæ ditionis patrimonio; partim Scytharum, Vngarorum, & Russorum vastitate atq; incendijs, partim ciuilium bellorum calamitatibus, partim confiscationibus Regum subsequentium & comitiorum arrestis, partim potentiorum vi ac rapinis, partim venditionibus, commutationibus, & alienationibus per Antistites & fratres præcedentes factis, partim Aduocatorum & sculteторum multiplicatione & super bonis Monasterij frequenti insessione: non nisi permodica portio præsentes Cænobij Tinecensis fortunas constituit. Quamuis hæc ipsa prouentuum intra mediocritatem mensura, dum per ministros spectatæ probitatis atq; industriæ procuratur, necessarijs sumptibus, alendæ Monachorum familiæ, hospitum susceptioni, infirmorum in domestico nosocomio curationi, & pauperum magno quotidie numero, tum peregrè, tum vicina ab vrbe Cracouia, tum ex oppidis & pagis confluentium, subleuandæ indigentiæ, tolerandis, vt cunq; sufficiat. Porrò alias voragines & incommoda quæ magnam bonorum Monasterij partem absorpserunt, dolenter inpræsenti sileo, sculteторum solummodo in bonis nostris existentium inanem & damnosam multiplicationem, expendere propositum in hoc tractatu habeo: quorum prædia, villæ & prouentus, si mensæ Cænobiali vel Abbatis (quemadmodum Ius Canonicum & Regni statuta disponunt) applicarentur, aliquot millium accessione res vtrorumq; locupletarentur. De quorum quidem sculteторum Origine, obligationibus & correctione breuiter pertractabo, vt cuiq; constare possit qualiter in vsum laudabiliorem & regularem præsenti tempore scultetiæ reduci debeant.

 §. I.

§. 1.

Quae origo Sculteторum in bonis Monasterij Tinecensis.

APud Theutones antiquissimus fuit estq; adhuc scultetorum vsus, qui & Aduocati, & vasalli, interdum & emphyteutæ & feudatarij, dicuntur reputanturq;. tametsi in propria significatione Iuris Saxonici loquendo, Scultetus is sit propriè, cui officium iudicis in villa subdelegatur, estq; verè præfectus rusticorum, qui etiam in legibus pedaneus dicitur, sine quo legitimum iudicium Saxonicum minime exerceri potest. Vasallus verò & feudatarius germane est miles, cui collata aliqua bona Regni vel Principis ad vitæ tempora, vel certè ad stirpis eiusdem successionem, ex quibus seruitium Patrono præstare obligatur. Aduocatus item propriè, vel ille qui consilio in causa aliqua adest, vel qui præficitur iudicio municipali, qui etiam Burgrabius nonnullis dicitur, iusq; dicit cum Sculteto villanis. Emphyteuta autem qui sub certo censu, vel aliquo obsequio, bona alicuius possidet, quæ ex radicibus elaborauit & ex incultis fructifera reddidit. Verùm in hoc rigore significationis non sumuntur apud nos nomina huiusmodi, præsertim ex suppositione Tinecensium, qui omnes perinde aduitales vsufructuarios, bona Monasterij & Abbatiæ. ex liberalitate Abbatis & Conuentus tenentes, Scultetos seu Aduocatos in Priuilegijs quæ elargiuntur, scribunt, nuncupantq;. Sunt verò Sculteti Tinecensis Abbatiæ aliqui illustres & primi in Regno Ordinis, aliqui ex Equestri genere, nonnulli sortis inferioris plebeiæ, quorum aliqui integras quæstuosas & fecundas villas, aliqui dimidiatas cum certo subditorum numero possident. nonnulli prædia cum agris fructuarijs, tabernas & molendina magni emolumenti sortes & ex quibus fructus notabiles habent, in suum vsum fructum collata administrant. De horum primâ origine vt edoceam: magnam inprimis apud Benedictinos olim per Germaniam vasallorum & feudalia bona habentium copiam extitisse, qui tam ex praecellenti & superillustri Principum, Ducum & Comitum familia & Ordine, quam ex mediocri Baronum, Equitum vel infimo plebeiorum gradu numerabantur. Cum enim amplissimas possessiones & plurima dominia Monasteria possiderent, eorumq; Abbates inter Proceres Romani Imperij primi haberentur, & Principum titulis prærogatiuisq; gauderent & insignijs vterentur, ad maiorem dignitatis suæ conseruandæ splendorem, Aulæ suæ Officiales ex Principibus id vltrò ambientibus & Dynastis constituebant, quibus in vim gratificationis conferebant feuda, aduocatias dabant, vt sibi magis obnoxios suisq; vsibus commodiores redderent & paratiores efficerent. Huius rei argumentum habemus apud Bucelinum in Aquila

Imper-

Imperiali, in qua Abbatum quorundam Sacri Romani Imperij Principum maiestatem describens, Officiales eorum primæ classis Duces enumerat: ac præsertim de Sangalensi, Campidonæ, Einsedlensi Monasterijs hæc inter cætera habet. *Solum* inquit *Diui Galli Monasterium, clientum Principum Comitumq́, cateruas totas numerauit, amplissimis per Sueuiam, Heluetiam, Rhætiam, Alsatiam, Briscouiam poßessionibus, in Proceres Germaniæ feudi titulo ac iure collatis, vt plurimi plurimùm vsq́ hodie obnoxij, fateri cogantur etiam inuiti, fortunæ suæ initia ab eiusmodi feudis dimanaße, quorum tamen maiores sæpè pessimè meriti, pessimè ingrati, vt & hodie multi, gratiam in debitum verterint, eosdemq́ euersos sæpè voluerint, quibus in omni posteritate nepotum obligatißimi tenerentur. Habuit Monasterium idem præter clientes feudatariosq́ alios quamplurimos, Dapiferos, hæreditarios Duces Sueuiæ, Vice dapiferos, Dynastas de Bichelsee; Camerarios Barones de Regensperg, & horum vice, Equites Glatburgios: Pincernas, Comites de Hoënberg, & sub his, Equites Landeccios: Mariscallos Comites Zolleranos, & ab his secundos, Dynastas de Mammertshofen.*

Officiales verò Campidonensis Abbatis & Monasterij ibidem hos apponit. *Campidona Dapiferum habuit Ducem Bauariæ, Pincernam, Ducem Saxoniæ, Mariscallum, Comitem Montfortium, Camerarium Comitem Nellenburgium.*

Officiales Einsedlenses istos. *Einsedlense Monasterium Aulæ præfectum habuit, Comitem Habspurgium, pro cuius muneris mercede, acceperat à Monasterio in feudum Dominium Kyenberg. Mariscallum, Comitem Rapersuillanum; Dapiferum, Baronem Wedischueilium. Pincernam, Baronem ab Vster, Sellarium, Baronem de Regensperg; Culinæ præfectum, Baronem de Kempten; Præfectum Eberlibacensem, Comitem de Thengen; Cameræ Præfectum, Baronem de Hohenklingen; Præfectum Superioris & inferioris Marchæ, Comitem Tockenburgium; Præfectum per Brisaugiam & Orthnaugiam, Baronem de Bostenstein; Præfectum San Geroldinum Comitem de Montfort, postea de Sulz Comitem Blumeneccium. Quibus succenturiata Nobilitas, & ipsa vice præfectorum munia gessit, Aulæ quidem Equites de Wolrow, postea de Schelenberg, Mariscalli Nobiles de Vricken, Dapiferi Equites de Humprechtikon, Pincernæ nobiles de Liebenberg, Sellarij Equites de Knonow, Culinæ nobiles Meissij de Tiguro, alijq́.*

Et tandem idem Bucelinus omnium loco, solius Monasterij Augiæ Diuitis feudatarios, tam Principes, quam alios illustres & prænobiles homines cum suis Armis gentilitijs subiungit; vt quanta pars Nobilitatis Alemanicæ, vni huic Cœnobio, vel solo temporalium bonorum vsu & respectu obligata fuerit, demonstraret. Ponit itaq; syllabum Clientum & feudatariorum Monasterij Augiæ Diuitis ad Rhenum infra Constantiam consistentis: vbi Archiduces Austriæ quatuor numerat, scilicet, *Rudolphum, Fridericum, Albertum* & *Leopoldum* qui feuda ab Augiensibus acceperant; numerat *Henricum Ducem Saxoniæ, Duces Brunsuicenses, Sueuiæ Zaringiæ &c.* numerat diuersos Comites 30. Barones 46. Equites 50. Nobiles 200. de nomine & cognomine, eiusdem Monasterij Vasallos, quorum signanter nomina in monimentis Augiensium descripta esse commemorat: vt planè nullum

vnquam

vnquam Regum seu Cæsarum, tantum Equestris Ordinis Procerum, numerum fouisse sciamus, quantum reipsa Magnus Archidux noster BENEDICTVS aluerit: *vt nemo*, inquit idem Bucelinus, *nisi cæcus atq; impius queri possit, tantas tam benè merito atq; Magistro insuper Hospitalitatis Ordini opes obtigisse.* Hæc Bucelinus præfato libro. Cuius argumento inducor ipse fortiter, facile vt credam, Abbates Tinecensis Monasterij, ex Burgundico Cluniacensi cænobio, & genere Alemanico, à prima Monasterij nostri erectione delectos vt plurimum & in Poloniam missos, Abbatum Principum Germaniæ facta, ambitiosa æmulatione imitari voluisse, & multos Aduocatos feudatarios de Ordine Equestri adlegisse sibi, eisq; non modicam partem bonorum Cænobij contulisse, eo potissimum fine, vt & Officiales Aulæ ministrosq; ex eis haberent, & eorum frequentia in foro & publica Regni luce stiparentur, hostilesq; si insurgerent grassationes, Arces monasterij ab ijsdem Aduocatis defenderentur. Pro cuius rei assertione, plurima Archiui nostri Priuilegia in promptu habemus, quale est anni 1383 in Armariolo sub litera N. n. 18. & 19. vbi Ioannes Abbas Tinecensis, Nobili sculteto in Moderowka, hæc munia obsequiosa præscribit. *Scultetus seruiet nobis in equo cum balista, dum expeditio fuerit generalis, vel dum nobis necessitas fuerit, debet seruire & venire ad nos ad castrum nostrum Golesß. Cmetones etiam nostros iuxta Theutonicum Ius Maydeburgense ipse iudicabit.* Citatus verò, *coram nullo alio respondebit, nisi coram nobis & nostris septem iuratis Scultetis in castro Golesß. citariq; debebit per literas nostro annulo signatas, &c.* Illud quoq; CASIMIRI Magni Priuilegium quod habetur in Armariolo sub litera H n. 2. datum Abbati Tinecensi, in quo Nobiles aliquot in gratiam Abbatis à generali expeditione bellica per Regem absoluuntur, vt Abbati præsto adessent in præsidio Arcium & totius viciniæ defensione.

Quanquam & alias causas, Scultetos & Aduocatos instituendi in bonis Cœnobij, maiores nostros habuisse prudenter coniecturamus: cum enim Polonia, diuersos Principes à morte Diui Stanislai haberet, & sicut corpus Sancti Præsulis in partes plurimas concisum fuerat, ita regnum Poloniæ in multos Ducatus Dynastiasq; distractum & diuisum esset, tunc pluribus suas Tetrarchias gubernantibus & inter se vt plurimum diffidentibus Principibus multiplicia è vestigio mala & clades innumeræ Poloniam inuaserant: cuius Prouincias immani feritate incursantes Russi, Scythæ, Litavi, Germaniq;, & igne eas deperdentes, ad magnam vastitatem & desolationem pagi oppidaq; Regni & accolarum eius redacta fuerunt. inter quæ Tinecensis Monasterij amplissimæ possessiones, cum simili incursione, terræ coæquatæ existerent, & diu incultæ iacerent, pace tandem reddita & bellis finitis, vt rursus nouis colonis inædificandæ & excolendæ traderentur, Abbatibus consultum iustumq; visum fuit: ab ijs itaq;, diuersis emphyteutis campi & pagorum combustorum areæ, sub certa pensione annuâ, ad directi dominij contestationem, collatæ, nouis colonijs, ædificijs, & hominibus cum tempore sunt adimpletæ. Hoc idem loquuntur Priuilegia Archiui nostri circa annum 1250.

data

data sub BOLESLAO Pudico, pro quo adhuc iuuene, cum HENRICVS Barbatus DVX Vratislauiensis tutorio nomine Poloniam administraret, Ius Theutonicum introduxerat, & Sculteτos Aduocatosq; vt iuxta leges Germanorum, in oppidis & pagis Polonicis iura exercerent, instituerat: quod ipsum Pudicus postmodum confirmauit, eiusq; successor ad fasces Lesco Niger eadem Iuris Theutonici prærogatiuâ, ornata oppida perpetuò esse voluerunt, & præsertim vrbem Cracouiam, cuius regimen ciuibus nationis Germanicæ commiserant, ex ea potissimum ratione, quod contra Conradum Ducem Masouiæ, arcem Cracouiensem & fidem integram sibi conseruassent. Quod genus regiminis & iudiciorum more Theutonum dicendorum, cum Abbatibus Tinecensibus ex Germania vel Gallia vt plurimum illo tempore oriundis, placeret magis, quam Ius Polonicum, vniuersè villas omnes & oppida ex Iure Polonico in Ius Theutonicum, assensu Regum ad hæc obtento, intra Dominium Tinecense transtulerunt. atq; inde in bonis Monasterij Aduocatorum & vasallorum numerus excreuit copiosus.

§. II.

Quæ sunt obligationes Sculteτorum & Vasallorum.

SIcut vetus habet paræmia. *Quod datur beneficium propter officium*, sic Sculteti fructibus Ecclesiæ inaniter non essent sustentandi: qui ratione Sculteτialis subiectionis, seruitia suis Patronis exhibere, eorum iussis obedire, & canonem proportionatum annis singulis in signum recognitionis directi dominij numerare tenentur. Id colligitur ex Priuilegijs Archiui nostri, in quibus legimus, qualiter oppida & pagi Tinecensium, ex Iure patrio Polonico in Ius Theutonicum transferebantur, simulq; authoritate Regia, a iurisdictione officialium Regni & Regiorum, subditi Monasterij eximebantur, neq; ad vllum alium Iudicem citandi declarabantur, nisi ad suos Scultetos; quibus ius omne & iurisdictionem vniuersas & singulas causas criminales & ciuiles inter homines adscripticios & liberos in villis & oppidis Tinecensis Monasterij habitantes, decidendi, ijdem Reges & Principes conferebant & addicebant. videri potest Priuileg: sub lit. A. n. 6. Lesconis de anno 1286. & sub litera L. n. 1. anni 1288. & Præmislai Regis sub litera A. n. 7. anni 1290. & Casimiri Magni litera A. n. 12. anni 1358. & Casimiri Tertij sub eadem litera A. n. 15. anni 1456. & aliorum Principum permulta Diplomata, quibus olim Monasterium Tinecense decoratum fuit. Verum & præter monumenta Cœnobij nostri, ipsa Statuta Regni & sanctiones Generales, na-

les, naturam & obsequia Sculterorum sufficienter descripserunt; adeatur Herburtus tit. Scultetus. vbi Casimirus Rex anno 1368. Visliciæ, constitutionem huiusmodi protulit. *Cum officium Sculteterum semper existat seruile, & ad nutum Dominorum suorum stare & facere, iure teneantur: indecens est vt maiores & potentiores personæ in Scultetias aliquas, præter Dominorum voluntatem assumantur. Idcirco fuit visum nostris Baronibus, vt nullus Miles aut alius quicunq; Illustris emat aut acquirat sibi, in aliqua villa Scultetiam, prater illius villæ Possessoris, siue Domini, siue Patroni voluntatem. factam autem emptionem contra hoc statutum, decernimus irritam & inanem.* Eandem obligationem Sculteterum ex antiquo vsu inductam, quod scilicet Sculteti esse debeant villæ illius in qua degunt directores & procuratores, idq; tam quoad correctiones & iustitiam inter subditos mutuò conseruandam, quam etiam quoad labores & obsequia Curiæ & prædio Domini, certis diebus à subditis præstanda; insuper & circa alios prouentus ex fructibus villæ Domino cumulandos & colligendos tenentur esse Sculteti occupati & omnino inuigilantes, clarè colligimus ex Constitutionibus Synodalibus lib: 3. tit: de emptione & venditione. c. 1. §. 2. vbi sculteterum munus & partes istæ assignantur. *Experientia certa didicimus, quod ex pluralitate Sculteterum frequenter contingit bona Ecclesiæ desertari. Statuimus vt in bonis Ecclesiæ quibuscunq;, vnus Scultetus duntaxat, qui bona regere valeat, habeatur. Si autem Scultetus plures filios habuerit, eo decedente, potior filius ad regendam Scultetiam eligatur, qui fratribus iuxta taxam Scultetiæ, de certâ pecuniæ quàntitate, secundum quod quemq; pars pecuniæ contingit, soluere in certo termino per Dominum villæ statuto, sit adstrictus. Aliàs, si soluendo non fuerit, alteri extraneo, de consensu tamen Domini omnes fratres ex tunc eandem scultetiã, infra spatium vnius anni, vendere inexcusabiliter teneantur.* Iam verò, quòd in suos Sculteros & vasallos Patroni, & Domini Collatores, ius temporale & largum dominium habeant, eosq; in sua potestate continere debeant, nec non, quod eorum sint Ordinarij Iudices, deq; Sculteterum causis, ad Patronos cognoscere pertineat, Canonistæ ex Rescriptis Pontificum demonstrant Nihilominus & Statutum Regni Poloniæ conditionem Sculteterum decircinat, nihilq; eos in bonis Sculteetialibus facere posse, absq; consensu Dominorum suorum, edocet. Ex quibus dedititius eorum status & seruitio subiectus colligitur.

§. III.

An Sculteti Spiritualium in Regno Poloniæ, seruitium bellicum facere teneantur?

IN Statutis Regni nostri, & Constitutionibus Generalibus, ab Herburto collectis, legitur Sanctio, titulo De Sculteris, vt omnes Spiritualium & Secularium Sculteti militent; quam legem CASIMIRVS REX Anno 1368. Visliciæ

flicitæ in hæc verba pronuntiaſſe ſcribitur. *Quia onus, præſertim quod omnes tangit, inter plures diuiſum facilius deportatur: quapropter ſtatuimus, quod indifferenter omnes Sculteti tam Spiritualium quam etiam ſecularium perſonarum, iuxta ipſorum facultates, ad quamlibet expeditionem nobiſcum tranſire teneantur.* Ibidem habetur Sigiſmundi Conſtitutio anno 1538. ſub hoc tenore verborum: *Viſum eſt, vt ſi probatum fuerit, Scultetos Spiritualium teneri ad expeditionem bellicam, Sculteti eorum ſint obligati deinceps nobiſcum in bellum proficiſci, præter eos, qui Priuilegijs eßent ab expeditione exempti & liberati. Quæ Priuilegia Domini Spirituales in Synodo proxima, poſtquam præterita (propter mortem Domini Archiepiſcopi) effectum ſortita non eſt, ſe recenſere promiſerunt, & illa poſtmodum in Conuentu Generali Regni proximè poſt Synodum futuro exhibebunt, vt ex illis fiat cognitio, de immunitate Scultetorum ſeu Aduocatorum, vel obligatione ad præſtandam & ſuſtinendam bellicam expeditionem.* Apponitur & Auguſti conſtitutio, Petricouiæ in anno 1550. facta, huiuſmodi: *Quia vbi eſt maior hominum copia, ibi vis potentior: renouando antiqua ſtatuta, ſtatuimus vt ex Scultetijs & Aduocatijs bellicum ſeruitium fiat: idq; tam ex eis, quæ poſſidentur ab ipſis, quam ex his quæ exemptæ ſunt. Nihilominus in futuris Comitijs, Spirituales hoc docere debent, an Sculteti vel Aduocati eorum, à bellico ſeruitio liberi ſint, iuxta Statutum anni 1538. quod quidem ſi non fecerint, ex tunc ſcultetiæ & Aduocatiæ eorum ad profectionem bellicam iam tenebuntur & erunt obligatæ.*

Quibus Conſtitutionibus, vt ſunt allegatæ ita præſuppoſitis; quæritur, An eæ realem effectum aliquando ſortitæ fuerint in Regno noſtro, vel vtrum Eccleſiaſticos (dato quod iuſtæ fuerint) ligent in præſenti; Ad cuius quæſtionis ſolutionem, ſciendum omnibus inprimis cupio, quod ea conſuetudo vbiq; gentium, in omni natione & populo etiam barbaro, à Iure Naturali orta ſemper floruerit, quia in vnaquaq; republica, aliqui homines cultui Diuino dicati fuerint, ſiue interea cultus veri DEI apud eos ſeruaretur (vti apud Hebræos, de quibus Regius Vates occinit *Notus in Iudæa DEVS*, quaſi apud eos ſolos DEI cognitio veri tantummodo haberetur) ſiue idololatræ eſſent, & opus manuum humanarum, lignum vel lapidem ritibus DEO debitis percolerent, ſiue aliud quodpiam Numen ceremonijs latriæ proſequerentur: ij omnes ſuperum obſequio addicti ſacratiq; homines, ſicuti publicis omnium alebantur ſtipendijs, ſic à vulgaribus & communibus excepti fuerunt ſeruitijs, quo commodius litarent Numini, & publicæ rei ſuperos redderent ſtudioſos. Hoc idem factum in Polonia, quæ poſtquam lumen veræ fidei ſub Mieciſlao Primo indepta eſt, ſtatim Numini vero ſunt immolati Dij falſi, & ex aris eorum, igne concepto, Polonia à ſuperſtitione gentilitatis expiata fuit. In qua Mieciſlaus tot baſilicis ad cæli inuidiam magnificè erectis, Principatuq; in duos Archiepiſcopatus diſtributo, ſeptem Epiſcopatibus Religionis maieſtatem auxit, & pro victu neceſſario Cleri, Decimos frugum manipulos, ſacrum ſcilicet tributum cælo, cleroq; conceſſit. Conceſſit pariter ſacris ijſdem DEO hominibus immunitatem omnem, quò pretium maius Polonæ

libertati faceret; eosq; à bellico exemit seruitio, vt sola prece & hostijs incruentis, hostium furorem & sitim sanguinariam restinguerent. Laicos verò Sarmatas suos, Neophytas & tyrones Orthodoxiæ, vt scirent cui gladios suos ferrent, docuit, vt quoties sacer Euangeliorum codex volueretur, gladium vnusquisq; vibraret, quò omnem perfidiam mactare se velle protestaretur, & ferreum murum pro fide Christi fortes Polonos, pectus habere hoc pacto comprobaret. Ipsissimus successor Mieciflai, Boleslaus Chrobry primus Rex Polonorum, cum Statum Militarem & Ecclesiasticum legibus ordinaret communiretq;, vt fuit pietati & Religioni apprimè deditus Princeps, sic stabiliendæ reipublicæ gratiâ, Cælitibus inprimis detulit, hanc potissimam sui Regni dotem existimando, Religionem procurare, & fidem promouere. Cui facilius amplificandæ, Spirituales & Ecclesiasticos viros, prouisionibus Regijs bene auctos, & honoratos, ab omnibus oneribus, expeditionibus & seruitijs publicis liberos esse voluit. Quod ipsum succedentes quoq; Principes, qualis fuit Boleslaus Pudicus, Venceslaus Boëmus, Casimirus Magnus, Zemouitus Dux Masouiæ, de statu Ecclesiastico iudicarunt & ordinarunt: ne & ipsi iugum cum secularibus ferant, & eorum subditi ab omnibus oneribus publicis & seruitijs perpetuò exempti conseruentur. fas enim est, imò & necesse, vt cum Clerici seruitio Diuino mancipati, in laicis cognitionem DEI eiusq; venerationem promouent, & pro illorum salute peruigilant, pro ipsis vicissim excubias militares profani obeant & onus belli expediant, iuxta illud.

Presbyteri labijs orant, laiciq; laborant,
Plebs, dum pro populo Presbyter orat, arat.

cum initiati, supremæ Diuinæ Maiestati Sacra dant, & eius ministerio detinentur, æquum est vt mutuam à subditis suis operam accipiant, & seruitio competenti vicissim honorentur; quo expeditius sacratissimo munere perfungantur, & vitam transigant mortalem; in quo genere plurimum haberent incommodi, si eorum clientes, Sculteti, & vasalli, bellicis seruitijs implicarentur, & ad alia onera ferenda compellerentur.

Sed hic erumpet immunitatis Ecclesiasticæ grassator, & Casimiri Magni constitutionem plenis buccis crepando detonabit, teneri nimirum Spiritualium Scultetos ad militare seruitium, quod iunctis omnium viribus tractandum est, vbi vniuersorum fortunæ periclitantur. Huic respondeo, fuisse sub Casimiro Magno in maximo periculo constitutos Polonos, quos Lithuani, Russi, Scythæ passim infestis agminibus adoriebantur & assultibus bellicis diuexabant, ad quorum incursiones arcendas vimq; propulsandam, omnes edicto Regis ad generale bellum conuocabantur Poloni, hoc tamen Regium mandatum, ad Realem executionem non fuit tunc deductum, neq; Spiritualium Sculteti militarunt, quia fortitudine & alacritate Nobilitatis Polonæ, ferocitas hostium incursantium egregiè compressa & edomita fuit, illeq; publici belli vrgentis casus, facilem expeditionem habuit. Casum verò extremæ necessitatis hic quoq; excipimus, qui si

qui si ingrueret, quemadmodum omnes etiam plebeij, rustici & oppidani, viritim quiq; ad defensionem patriæ tenerentur, ita & Spiritualium subditi, & fortè ipsimet Spirituales suorum laterum obiectu, furorem hostilem retundere obligarentur. Quod etiam Romanos olim obseruasse legimus, apud quos sacrifici & mystæ habebantur immunes à belli necessitate, si tamen Gallica obsidio Vrbem premeret, illi quoq; excubias agere & stare in vigilia Vrbis obstricti erant. Præterea Panicus ille casus & formido vniuersalis, quæ circa annum Domini 1475 omnes quidem Europæos non mediocriter corripuerat, quando Cafam Turca expugnauit, sed præ cæteris maiorem metum incusserat Polonis, quo hostili potentiæ ad se faciliorem credebant accessum: ac proinde maturo consilio, insultum præueniendo hostis, ex senatus consulto apud Polonos statutum fuit, vt omnes ad vnum ad arma euocarentur, simulq; acclamatum fuit, vt & Spiritualium vasalli in aciem descendere non aberrarent: illo tamen articulo temporis, non fuit ventum ad prælium, quia Turca contra Poloniam ne quidquam tunc attentauit. In reliquo, istæ constitutiones, quæ Sculteto s Spiritualium ad bellicas expeditiones accingunt, desumptæ sunt ex anteriori statuto Przylusciј, quod receptum non est, quia ab homine suspectæ fidei congestum fuit: neq; posteriora hæc Statuta Herburti ex illo volumine Przylusciј magna ex parte transumpta, aliquo comitiorum Decreto sunt adhuc approbata, ac proinde ambiguas constitutiones plerasque continent quæ in praxi nunquam obseruantur. In contrarium verò, antiquissimam immunitatem bellicæ expeditionis Spirituales sæpius demonstrarunt, quâ libertate etiamnum fruuntur, nec cogi possunt, vt vel ipsi, vel eorum subditi huic oneri subiecti esse debeant. Et si verò crebrius Præsules Regni nostri, ex merâ in rempublicam liberalitate & verò amore, manipulos militum conductorum, & vexilla cataphractorum ad castra reipublicæ submittant, id tamen non coactè sed vltrò præstant, ne quidquam immunitati præiudicando. In cassum itaq; scultetos spiritualium Statistæ ad bellum obarmant, qui ratione eorum bonorum quæ habent ab Ecclesijs, seruitia Ecclesijs & suis Patronis & non alteri cuipiam exhibere de iure adstringuntur. Hoc autem munus eundi ad bellum, & proprij pectoris opposita, pro salute patriæ onus dimicandi cum hoste, est opus peculiare Nobilitatis Polonæ, quibus Priuilegia libertatis idcirco sunt concessa, vt semper in armis sint, facturi bellum quod sors obtulisset. Clarissimè de hoc bellico seruitio, quod Nobilitati incumbit, Ludouicus Rex edisserit; cui Iagiello subscribendo, opus proprium eorum esse ait, *metas seu granicies Regni nostri Nobiles ab insultu hostium proprijs sumptibus tueri debent & omni modo obligantur.* CASIMIRVS quoq; Iagiellonides id oneris eidem Nobilitati adscribit, *Nobilitas* inquit *suis proprijs ceruicibus à casibus bellicis Regnum nostrum defendere est adstricta.* Frustra itaq; Spiritualium vasalli, tali classico ad prælia euocantur, cum ex vi feudi Ecclesiastici alijs seruitijs vacare sint obligati. Nihilominus alio titulo, nempe quà Nobiles, & propria insuper bona terræ habentes, ad communem expeditionem

nem belli cum alijs Nobilibus, parati esse debent Sculteti, sed non quà Sculteti, prout clarè iam est demonstratum. Poterit etiam legi Andreas Lipscius, Decadis qq. publicar: quæst: 7.

§. IV.

Vtrum hoc tempore sint commodæ vel certè incommodæ & damnosæ Monasterijs, Scultetiæ?

QVidquid fuerit retroactis temporibus, cum in Polonia vsus adhuc Iuris Theutonici seruaretur per villas, tunc Sculteti bono regimini pagorum intendendo, & querelas subditorum dijudicando, Curiæq; Dominorum suorum diligentiam habendo, aliquo modo fructus suos fecisse & continuis seruitijs gratias tam largas commeruisse non inficiamur. Cæterùm hac nostra ætate, vbi forma iudiciorum Regni, in omnibus pagis seruatur, & incolis villarum à Præfectis iura dicuntur, Vasalli & Sculteti nostri haud tantum otiosi sunt, quin imo onerosi, qui subditis in vicinia existentibus, non leues sæpe iniurias inferunt, eorum agros per sua animalia depascendo, syluas exscindendo, & alijs incommodis eosdem diuexando. Vel certè, qui Vasallis Tinecensibus patrocinari cupit, ostendat quæso, quo nam genere seruitiorum suorum, tantum beneficium quod ex bonis Ecclesiæ percipiunt, vel leuiter promereantur? ego verò nulla eorum merita, quibus tantas gratias exmeritò consequantur, hactenus inuenire possum: scio nonnullos eorum, mille florenos & amplius, annui prouentus ex possessionibus Monasterij percipere, qui tamen, vel pileum in signum subiectionis & gratitudinis deponere coram Abbate Patrono & Conuentu grauantur, multo minus obsequio aliquo vtili & percommodo ob gratiam Monasterij facto, mereri assolent. Canonis quoq; pensionem leuiusculam, decem vel triginta ad summum florenorum extradere si compellantur vel potius submisse exorentur, hoc ipsum fastidiosè perinuiti faciunt, insigne suum in Monasterium beneficium exaggerando cuius fortunas hoc pacto locupletarent. Benè itaq; primariæ, in republica dignitatis homo, inutilem Scultetorum Tinecensium cateruam perpendens, qualiter illi amplos reditus possidendo, nullo officij munere eos compensarent, suasurum se Administratori Abbatiæ & Conuentui receperat, vt tales damni gerulos, voragines Ecclesiasticæ substantiæ & Monasterij sorices à pascuis Ecclesiæ postmodum arcerent, tam bonos bolos patrimonij Ecclesiastici, inutilibus personis non amplius conferendo. Satius verò, Abbati suadebat idem, mille flo-

se florenos mercedis promeritæ in annum aulico numerare, qui administer sit victus quotidiani & famulus ad iussa præstanda, qui latus heri stipet & deducat euntem, qui stipendium trimestre mereat & in dies ministret Domino, quam ignauis & vmbraticis his hominibus prædia & villas conferre, in quibus ceu cochleæ abscondant & retentent sese taciti, publicum fugientes, & nil minus cogitantes quam suam obligationem, quæ eos feudi nomine & beneficij à Monasterio accepti, seruos suorum benefactorum constituit. qui aliam certè quàm deberent, præseferentes mentem seq; absolutos, in sorte & pago Ecclesiæ, Dominos æstimantes, faciunt cuncta pro libitu, contractus de re Ecclesiæ faciunt, inscribunt pensiones, ius aduitale vendunt, & de alieno passim nundinantur: iamq; in tantum eorum abusus processit, vt si arte aliqua consequantur Sculteriam hodie, cras eam alteri vendant; quemadmodum nuper rapacidæ aliqui & aulici accipitres in bonis Tinecensium processerunt, qui omnino ignoti, non solum vilius meriti homines apud nostrates, post obtentas & artibus quæsitas Scultetias, è vestigio easdem aliquod millibus florenorum alijs vendiderunt, rursus intenti in omnem occasionem ipsi, si qua forte nouiter alterius Aduocatiæ consequendæ daretur occasio, quales aucupes plures de nomine recenserem, qui prædas ex bonis Tinecensium non postremas egerunt. Iam autem hi qui nundinatione tali, bona mercati sunt ab illis, pretium suum id tantum reputantes quod exoluerunt, titulo iustæ emptionis bona se acquisisse dicunt, in eisq; ceu in proprijs dispositiones innouant, nihil interim Tineciæ se debere clamantes, vt qui non gratis sed pecunijs comparauerint bonum, illudq; tanto peculio sint nundinati. sic beneficium amittit officium, gratia ingrata, sic plurima Cœnobij alienantur bona, quæ à famelicis harpyjs hoc astu dilacerantur. Quod vtinam attenta mentis consideratione expendant Rectores nostri, qui per suam incuriam & vituperabilem conniuentiam, tantam bonorum Ordinis euersionem ab alijs perpetrari sinunt, qui indignis patrimonium CHRISTI prodigunt, quod sacris tantum vsibus impendendum foret. contra tales Religiosorum Antistites, Decretum est Sacræ Congregationis Concilij, Vrbani VIII. iussu editum anno 1624. *De rebus regularium non alienandis*, cuius copiam ex impresso huc transcribo.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt Regulares Apostolicis Priuilegijs innixi, ac proinde operæpretium putans illorum facilitatem aliqua ratione compescere, Speciali Sanctissimi D. N. iussu, Generalibus & Prouincialibus Capitulis vel Congregationibus, Abbatibus Generalibus & quibuscunq; alijs superioribus Regularibus cuiusuis Ordinis, congregationis, societatis vel instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum & bonorum immobilium, ac pretiosarum mobilium, alienationem, omneq; pactum per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum vel emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuo prohi-

prohibet atq; interdicit, absq; ipsius Congregationis Concilij expreßa licentia in scriptis & gratis concedenda, sub pœna priuationis omnium officiorum quæ tunc obtinebunt, vocisq; actiuæ & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto, absq; alia declaratione incurrant; sublatâ etiam Generali & Protectori illam moderandi aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apostolicarum Constitutionum & præsertim felic: rec: Pauli II. quæ incipit, Ambitiosæ, *in suo robore permansuris. Alienationes vero, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascunq; contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis suæ authoritate, ipso iure nullas atq; irritas decernit. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunq; personarum atq; Ordinum, tam Mendicantium, quam non mendicantium, militiarum, etiam S. Ioan: Hierosolimitani, Congregationum, Societatum, ac alterius instituti, etiam neceßario & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunq; nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis alia firmitate roboratis, Statutis vel Consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoq;, indultis & priuilegiis, sub quibuscunq; tenoribus & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, alijsq; efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis; etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumq; totis tenoribus ac formis, specialis & indiuidua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda & aliqua alia exquisita forma seruanda eßet, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus, quo ad ea quæ præsenti Decreto ac prohibitioni aduersantur, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expreßè Sanctitatis suæ authoritate derogat, cæterisq; contrariis quibuscunq;. Datum Romæ die VII. Septembris 1624. Cosmus Cardin. de Torres. [illegible]osper Fagnanus S. Congr: Secr.*

Sunt præterea multæ grauissimæ Inhibitiones Religiosorum Prælatis intentatæ, *De rebus Ecclesiæ non alienandis:* Constitutionum Synodalium Prouinciæ Polonæ *lib 3. tit. de reb: ecc: non alien.* descriptæ, ex quibus Petri Gamrati, Petricouiæ, anno *1542*. factam adcitare placet. *Cum pleriq; Abbates, Præpositi, & Abbatißæ, villas & bona Monasteriorum suorum, & Iuspatronatus Ecclesiarum hactenus alienarunt, seu in emphyteosim conceßerunt, extra causam euidentis vtilitatis, absq; consensu Episcopi loci: Decreuit hæc Synodus, vt Dni Loci ordinarij, authoritate eiusdem Synodi, citra omnem moram, quæ periculosa est, decernant monitoria contra tales Abbates, Præpositos, & Abbatißas, vt infra terminum vnius anni, totaliter omnia alienata recuperent. Quod si lapso termino non recuperauerint, authoritate præsentis Synodi per Ordinarios à Prælaturis & officijs suis deponantur. Et nihilominus Ordinarij compellant detentorem, ad restituendum, male alienata. Et si deinceps quispiam ipsorum huiusmodi alienationes facere præsumpserit, statim ab officio & prælatura deponatur: taliśq; alienatio sit nulla ipso iure.* Videri poterit simile interdictum.

dictum c. Abbatibus. 12. q. 2. c. ambitiosæ. in extrauag d. t. Eiusdem censuræ & rigoris, habetur eod: lib: & tit. Ioannis Przerembski Varsauiæ Synodalis sanctio. *Et quoniam alienationes seu dilapidationes bonorum Monasteriorum, eo vsq; processerunt, vt etiam verendum sit, ne penitus per huiusmodi alienationes bona Monasteriorum sensim pereant, & à proprietate Monasteriorum recidant: Sacra hæc Synodus, in hærendo antiquis constitutionibus & Synodalibus Statutis, decreuit, ne Abbates & Præpositi, similiter etiam Abbatissæ & Priorissæ cum Conuentibus suis, aliquas venditiones donationes, concessiones, locationes quascunq;, & quosuis alios contractus, permutationes, vel alterius cuiusquam denominationis aut emphyteosis, etiam prætextu euidentis vtilitatis Ecclesiæ, sine consensu RRmorum DD. Lociordinariorum, ac suorum Capitulorum, Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum, sub pœna depositionis & alijs pœnis Iuris faciant: alienata verò, quacunq; viâ superius descripta, iuxta Statuta priora, ad decursum vnius anni, à quibuscunq; personis, tam Ecclesiasticis quam secularibus Iuridico Processu, vel alia quacunq; honesta ratione euincant, vsuiq; & possessioni pristinæ Monasteriorum restituant. Alioqui si negligentes infra hoc tempus in recuperandis bonis ipsis Monasteriorum fuerint, de diligentijsq; suis legitimis Dnos Lociordinarios non docuerint, tunc ijdem Dni Lociordinarij ad depositionem talium iuxta Statuta Prouincialia procedere teneantur.* consulatur etiam Clement *1. tit. de reb: ecc: n. alien.*

Cumq; humanæ adinuentiones argutæ sint ad palliandos errores & defectus, quos in contractibus committere solent viri Ecclesiastici tàm Regulares quàm etiam Clerici seculares, qui bona Ecclesiarum ne videantur alienare, ea locare ad multos annos alijs & conducere solent; ex quibus locationibus verissimè compertum est, hæc damna ipsissima sequi quæ Constit: Synodal: libro *3. tit. de locato & conducto* Drzeuicij Pragmatica detestatur, cuius sunt ea verba. *Quam damnosæ sint locationes seu Arendæ bonorum Ecclesiasticorum, & quàm perniciosæ existant, experientia rerum magistra est. Ideoq; Sancta Synodus priores recensendo constitutiones, ne huiusmodi bonorum Ecclesiasticorum, ex quacunq; causa, sub pœnis dudum ob eam rem constitutis, locationes seu Arendæ, præsertim secularibus fiant, Constitutione hac prouidet, pœnas in tales qui præuaricarentur & contrarium facerent, duplicando.*

Plurima insuper in corpore Constitut: Synodal: habentur Decreta; de alienationibus bonorum Ecclesiæ non faciendis, inter quas alienationes comprehendi etiam censetur, syluarum deuastatio, quarum conseruationi in tanta desolatione merito prospiciendum sit. Similiter Aduocatiæ seu Sculteriæ ne immeritis & pueris conferantur, neq; mansi vltra numerum in originalibus literis expressi augeantur, nec summæ nouiter inscribantur, sed vt per quartam partem omnino extenuentur, neq; cmetones addantur, aut Scultetis, â seruitijs antiquitus impositis, libertas & exemptio concedatur. De quibus, legatur in volumine Constitutionum Prouinciæ Polonæ.

§. V.

In quo, Monasterij possessiones è manibus Vasallorum & Sculteturum necessariò esse vindicandas, ostenditur.

SAtis superq; præsenti de Scultetis Disquisitione, demonstratum esse arbitror, Sculretos & Vasallos nostros, Tinecensi Monasterio, non modo inutiles, infructuosos, & otiosos esse, sed etiam incommodos, & Monasterij prouentus inaniter & illicitè depascentes, imò rebelles, & ob suam Nobilitatem, seruitia ratione Sculretiæ debita, & subiectionem totaliter detrectantes: ac proinde ex bonis & possessionibus Monasterij, omnium rectè sentientium iudicio, submouendos esse necessario, fit manifestum. Hoc iura, & leges quà Sacræ Ecclesiasticæ, qua etiam Ciuiles Politicæ Regni nostri, euidenter docent. Ac inprimis, solennis est illa Vladislai Iagielonis Regis Poloniæ, Vartæ, anno 1423. lata Constitutio, quæ habetur in Statutis, tit. de Sculteto inutili ac rebelli, apud Herburtum tenoris eiusmodi. *Inutilem Scultetum Dominus in hæreditate habens, aut rebellem, Dominus potest recipere Sculretiam suam, & vendere; qui si emptorem non habuerit, nec habere poterit, tunc ille hæres cum dicto Sculteto, debebunt & tenentur accedere ad Iudicium Terrestre, & recipere duas eligendo personas sagaces, neutri partium suspectas, qui valorem Scultetiæ ad summam taxantes vnam, eidem Domino seu hæredi soluere nuntiabunt: & sic Dominus solutâ taxâ illâ pecuniali pro se Scultetiam obtinebit.* Quæ sanctio cum sit iuri naturæ & rationi humanæ maximè consona, æquum est, vt diligenter circa inutiles parasitos istos, in praxi obseruetur, quos qui in bonis Ecclesiæ tenendos & fouendos censet, perinde sapit, ac ille qui gliribus annonam elargitur. cum tamen id suprema Ecclesiæ authoritas prohibeat, & minacibus decretis præcipiat, vt bona spiritualium in damnum Ecclesiæ & ministrorum eius, à possessione & vsu Ecclesiæ alienata, omnibus modis repetantur & vindicentur.

Quod & in illa celeberrima Prouinciæ Polonæ Synodo, Varsauiæ, sub Wezyk Archiep. ad 13. Nouembris, anno 1634. peracta, prudentissime constitutum, capitulo 12. statutorum eiusdem legitur. *Vt Scultetiæ & Aduocatiæ in bonis Ecclesiæ certis pecuniarum summis oneratæ, quamprimum liberæ ad Ecclesiam redeant, statuitur, vt in Priuilegijs de nouo super eas concedendis, quarta pars summæ principalis detrahatur, ita vt cum ad quartum possessorem venerint, summa totaliter extincta esse censeatur, prout etiam in Scultetijs Regalibus Iure Regni obseruatur.*

Porrò bona regalia, qualiter etiam quondam dispersa & à multis distracta fuerint, & quomodo ad vsum Regiæ Cameræ postmodum deuenerint, in statutis

Regni,

Regni, titulo, *Bona regalia* legimus, vbi Alexander Rex, Petricouiæ anno 1504. cum Procerum & Patrum Regni assensu statuisse, in hæc verba scribitur, *Quoniam de bonis mensæ Regalis, status Regius etiam consueuit specialem habere prouisionem, & illis non habitis, necessariò status Maiestatis Regiæ publicis auxiliis deberet sustentari; tot verò onera in Regno contingunt ferenda, vt etiam publicis auxilijs impossibile esset satisfacere. Proinde Statui Regio prouidendo & necessitatibus occurrentibus, vt successiue euinci omnia valeant bona mensæ Regiæ, statutum est, & per Maiestatem Regiam approbatum esse debet, quòd bona Regalia dum eximentur, vel si quopiam modo deuoluentur ad Regiam Maiestatem, amplius non impignorabuntur, neq; donabuntur, per Maiestatem Regiam, nisi in Generali conuentione pro reipublicæ necessitate Consiliarij consentirent obliganda, donanda vel inscribenda. Præterea quòd Regia Maiestas nemini amplius ad summas priores, in bonis Regalibus adscribet quicquam; & si inscriptionem fieri contingat, etiam in Generali conuentione Dominis Consiliarijs consentientibus: nihilominus perpetuò obseruandum decretum sit, quod nemini aliqua bona Mensæ Regalis Maiestas Regia debet inscribere, absq; conditione extenuationis. qui verò contra præsens Statutum pecuniam super bona Regalia dederit, ille perdet & honorem & pecuniam quam habet inscriptam.* ecce correctio prioris abusus, qui irrepserat ad prouentus Regios, vbi nimia largitione priorum Regum, successoribus plurimum detractum imminutumq; fuit. Pari ergo immò potiori modo, Monasterijs eorumq; Præsulibus procedendum est, cum Donatarijs, Vasallis, & Sculteis, intra possessiones Monasterij latitantibus, super quos inuigilandum est serio, vt summæ si quæ eisdem inscriptæ supersunt, extenuentur; quæ etiam cassari omnino deberent & annihilari, si bona & villæ deterioris conditionis nunc, quam antea fuissent, si syluæ deuastatæ, ædificia corrupta, subditi dilapsi per incuriam, vel iniuriam, & grauamen Donatariorum inuenirentur: in quo euentu, Summæ, directo Domino & hæredi essent applicandæ, ad bona & possessiones sic per vasallos desolatas, rursus reparandas instaurandasq;. qui modus procedendi, cum inutilibus eiusmodi assectis, bonum Monasterij promouenti & ruinam euersionemq; bonorum eiusdem consideranti, vti rationabilis, sic factu videretur non arduus, modò zelus adesset conseruandæ CHRISTI substantiæ & patrimonij Religiosorum defendendi. Cæterùm, antequam hæc tinea & toredo sacra infestans. de bonis Ecclesiæ eradi vel expelli poterit, singularis inspectio super sortes infeudatas adhibenda est, cogendi etiam feudales ad obsequium, summæ inscriptæ examinandæ, & vel extenuandæ prout de Iure Spirituali & Ciuili, vel extinguendæ, si iustitia suaserit, ob damna sortibus illata: seruandam insuper per omnia illam esse Constitutionem, quam in Prouinciali Synodo Bernardus Macieiouius Cardinalis & Archiep: Gnesnen. Petricouiæ anno 1607. tulit. *Sculteriæ & Mineræ ferrariæ, plerumq; Nobilibus in ius aduitalitium conferri solent, qui postmodum Priuilegio Nobilitatis, iurisdictionem Ecclesiasticam detrectant. Proinde Statuitur, vt in posterum, cum Contractus huiusmodi locationum in casibus à Iure permissis tantum facienda-*

ciendarum initi fuerint, non prius illis Priuilegium à Capitulo tradatur, quam coram Actis Castrensibus renunciauerint Priuilegio fori quoad illam Sculteriam & Mineram: tum vt cessante illorum Iure aduitalitio, quarta pars summæ pecuniariæ, siue ex literis Originalibus, siue ex taxa Commissariorum prouenientis, detrahatur, & extinguatur: qui etiam Sculteti ab oneribus & seruitijs in literis Originalibus expressis non eximantur, nec eis Aduitalitates duæ, marito & vxore exceptis, concedantur. Habetur in Statutis Synod: Macieiou: tit. de bon: eccl. non alien: §. 2. Legatur & Andreas Lipscius Decade qq. publicar. quæst: 7. num. 12. 13.

§. VI.

In quo Syllabus Tinecensium Sultetiarum proponitur.

IN triplici differentiâ collocandas esse Abbatiæ Tinecensis Sculterias existimo, quædam enim illarum insignes prouentus & census pingues habent, nonnullæ tenuiores paulò, nobiles tamen & ex quarum obuentionibus competenter Aduocati sustentari valent, aliæ deniq; pro ratione agrorum non tam vbertim donatarijs fructificant, commodæ nihilominus sunt & quæ arrident possidentibus vt potè gratis datæ & sine onere. Hinc aliqui, titulo Aduocatiæ integras villas, cum toto colonorum numero & vsu omnimodo possident, aliqui dimidiatos pagos cum suis Cmetonibus & agrorum laneis habent, aliqui prædijs solummodò & mansis terræ cultis, cum tabernis, molendinis, nemoribus & similibus rebus, ex quibus eos lucri bonus odor afflat, incubant. Suntq; talium vsufructuariorum qui Vasalli seu Sculteti apud nos dicuntur, nonnulli Illustres & Magnifici, Nobiles reliqui, paucis exceptis sortis plebeiæ, qui etiam ipsi inutiles Monasterio se exhibent, rebus eius & substantia vtendo, euidenti suo commodo, nullo fructu Cænobij. Quorum nominibus citandis parco in præsenti, ne id contumeliæ ducant sibi; cum eius ingenij & moris sciam esse homines, qui fortunas suas sibi ipsis adscribant, quasi ex proprio sufficientes sint, cum tamen sufficientia & census eorum, ex bonis Ecclesiæ habeat incrementum. Iam verò ex hic suppositis, censûs amplioris & redituum maiorum Sculterias villasq; intelligendas esse, quæ prioribus locis ponuntur, reliquas ex consequenti pro ratione vectigalium rei familiaris & prudentiæ domesticæ, calculandas esse.

Sculteriæ Tinecenses.

In Choynik & Babice.
In Birowka & Niepla.

In Kolanow.
In Siedliska & Luboszowa.
In Kłodawa.
In Kwiatonowice,
In Rybna.
In Bączał.
In Kolaczyce.
In Czelusnica.
In Mniszkowice.
In Pogwizdow.
In Okulice.
In Modrzany.
In Lipnica.
In Viazd.
In Dobrowa.
In Zagorze.

Sunt præterea & aliæ ordinis inferioris Scultetiæ, in Lyszki, in Karwina, in Kaszow, in Nowawies, in wola Radzieszowska, &c. &c. quarum possessores, meminisse suarum obligationum Scultetialium ex animo opto.



DISTINCTIO II.

In qua Participationes bonorum operum, & Communicationes Priuilegiorum, & indulgentiarum, quas habent Tinecenses, cum alijs Religionibus & Monasterijs, ex authenticis literis desumptæ, inducuntur.



CIo esse Thesaurum ingentis æstimationis, huiusmodi Literas gratiosas: quarum pretium vt omnes pensi habeant, breuem Analysim vice proloquij instituendam censui, Ac inprimis sciendum esse 1. insinuo, quod Duobus modis possumus alijs nostra suffragia applicare, iuxta doctrinam D. Th. in 4. d. 45. q. 2. art. 1. secundum duplicem valorem; Meritorium scilicet & satisfactorium, quem in se habent quælibet bona opera, 1. per modum meriti de congruo, seu per modum impetrationis, meremur nobis vel alijs seu impetramus, aliquod bonum quasi præmium operis quod dicitur meritorium. Vnde eo ipso quod aliquis est peculiari modo membrum alicuius Religionis per literas fraternitatis, merita illius Religionis valent apud Deum, vt ratione illorum conferat illi aliqua bona, peculiari auxilio, tanquam membro talis Religionis. 2. possumus applicare suffragia per modum satisfactionis, dando nimirum satisfactionem in dictis bonis inclusam, pro pænis debitis alienis peccatis.

Sciendum 2. ex D. Th. opusc. 6. verb. ***Sanctorum communionem***, & alijs DD. quod Duobus modis potest quis mereri ex opere alterius meritorio. 1. ratione Vnionis in charitate, quam habent inter se iusti, iuxta illud psal: 118. ***Particeps ego sum omnium timentium te.*** & illud Symboli, ***Communionem Sanctorum.*** Est enim vna omnium fidelium Vniuersalis Ecclesia, charitate coniuncta, quæ est societas & amicitia spiritualis. Vnde sicut in societate temporali, de lucro vnius participant cæteri, ita in amicitia spirituali. quare existens in mortali, licet excommunicatus non sit, non est particeps alicuius boni, quod fit in Ecclesia per Vnionem: cum enim sit membrum præcisum à corpore, non potest recipere influentiam ab anima. 2. modo, potest quis mereri ex bono opere alicuius, ratione specialis intentionis ipsius orantis aut Prælati applicantis illi talia bona, ratione cuius, etiamsi peccator sit, potest participare multa bona ex gratiâ & liberalitate Dei prouenientia, vti ex sententia D. Augustini, propter orationem

Stephani saluatus est Paulus. Et talis participatio specialis plus prodest quàm illa generalis. Tum ratione maioris coniunctionis; plus enim semper meremur nobis, & nobis magis coniunctis, quam alijs. Et sicut magis commendatum habemus, specialiter ab amico commendatum, quàm si solum generaliter commendatur; quia specialis commendatio efficaciorem affectum ostendit: ita & hîc. Tum ratione strictioris promissionis; vnde sicut seruus multorum, plus acquirit illi Domino cui nominatim stipulatur, quàm alijs, quia obligatio illi in solidum quæritur: similiter si iussu vnius Domini, vel ex re ipsius, seruus multorum acquirit, illi specialiter acquirit: ita in proposito. Quare multum interest recipi ad participationem alicuius Religionis, siue sic receptus sit peccator, quia tunc fit particeps propter intentionem, qui non erat propter vnionem: siue sit iustus, quia tunc dupliciter participat.

Sciendum 3. quod applicatio bonorum operum ad alterius satisfactionem, tripliciter fieri potest. 1. in singulari, vt cum priuatus bona sua, etiam quibus indiget, alteri determinatæ personæ applicat. 2. in specie, vt cùm Prælatus Religionis admittit aliquem ad participationem bonorum, quæ fient in futurum in illa communitate vel religione. 3. in generali, vt cum Papa satisfactionibus quæ Christo & Sanctis superfluunt, & in thesauro Ecclesiæ conseruatæ fuêre, aliquid alicui applicat. His præmissis.

Colligitur, *posse Prælatos Regulares concedere deuotis amicis & benefactoribus literas fraternitatis, seu participationes omnium bonorum, quæ fiunt in communitatibus sibi commissis.* Prob. tum ex c. nullam. 18. quæst: 2. vbi dicitur, quod tota bonorum monasterij administratio ad Abbatem pertinet, & penes Abbatem residet. quæ verba, non solùm de bonis temporalibus, sed etiam de bonis spiritualibus debere intelligi docent passim DD. Tum ex Priuilegio Vrbani V. quod refert Casarub. in compen. verb. *indulgentiæ quoad seculares.* num. 6. vbi concedit, quod Generales & Prouinciales possint communicare suffragia, indulgentias, orationes, & alia bona spiritualia benefactoribus Ordinis. Tum quia possunt fideles omnes, sua opera bona peculiariter alijs communicare. Et quia quilibet est Dominus suarum satisfactionum. Et quia id videtur docere Scrip: ad Gal: 6. *Alter alterius onera portate*, & Iacob 5. *Orate pro inuicem vt saluemini.* Ergo & Religiosi idem possent, nisi obstaret votum Obedientiæ, per quod se arbitrio suorum Prælatorum submiserunt. Ergo dicti Prælati, per dictum votum, acquirunt eam potestatem super actiones Religiosorum, quam ipsimet Religiosi habuissent, quo ad actiones meritorias & satisfactorias superabundantes & communes, si tale votum non fecissent. Ergo possunt dicti Prælati, prædicta suorum opera spiritualia cui voluerint applicare, sicut & bona temporalia ex charitate alicui communicare.

Quæres 1. Quibus personis huiusmodi literæ fraternitatis conceduntur à Prælatis? ℞. illis personis de quibus habent relationem, quod sint deuoti Ordinis & benefactores. Vnde si in aliquo cesset ista causa finalis, quia scilicet non sit benc-

[illegible] bene [illegible] re [illegible] bonis ille, qui cum benefactor esset [illegible] [illegible] cessat à benefaciendo.

[illegible] autem [illegible] in quadruplici differentia. Alij enim benefaciunt [illegible] & eleemosynis suis Religiosorum paupertatem sustentando. Alij eis benefaciunt, ab iniurijs defendendo, à calumnijs liberando, de eis semper benè loquendo, reuerentiam illis exhibendo, &c. Alij iura eorum tuentur & sustentant in iudicio, vt Aduocati, procuratores. Alij illis benefaciunt officium Medici, chirurgi &c. in eorum fauorem gratis præstando. isti omnes possunt ad participationem admitti. Quod si postquam sunt admissi, cessent à beneficentia ante frequentata impendendâ, dummodo non cessent ab alijs gratijs, vt v. g. qui ad paupertatem redactus non facit eleemosynas, sed tamen benè loquitur de illis Religiosis vel alio modo est ipsis commodus, non desinit participare de dictis bonis. Nihilominus id quoq; verum est, si Prælatus velit aliquem non benefactorem ex mera charitate ad participationem admittere, id poterit; sicut enim potest largiri rem temporalem, ita & spiritualem poterit ex sola charitate. Reputantur etiam inter benefactores Ordinis & Monasteriorum, Parentes secundum carnem, fratres & sorores, vniuersorum de Ordine Fratrum & Monachorum, erga quos vt affectum charitatis Congregationes Religiosorum testarentur, ad participationem omnium bonorum quæ fiunt in Ordine illo, eosdem cognatos admiserunt,

Quæres 2. Quid iuuant dictæ participationes eos quibus conceduntur? ℞ iuuant non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter. Prob: quia sic definitum est in Concilio Constan: sess: 8. art: 19. Tum quia vsus talium participationum ad dictos effectus fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum, vsq; ad præsentia tempora semper approbatus, vt latè probat Vuald: tom: 3. de Sacram: tit: 10. cap. 94. & 95. Iam verò in particulari ex literis gratiosis, hæc bona proueniunt benefactoribus quibus eæ conceduntur: valent eis ad impetrandam à Deo gratiam conuersionis, cordis illuminationem, virtutum profectum &c. valent ad præseruationem à peccatis, & liberationem, & præseruationem à morte, & alijs malis spiritualibus & corporalibus, & ad collationem bonorum spiritualium & temporalium seu corporalium, quæ vnus alteri potest de congruo mereri seu impetrare ex Dei misericordia. sicut per merita Abrahæ Devs liberauit Loth. *Gen. 19.* Ad hæc, habentes literas fraternitatis, quamdiu viuunt, participant de bonis operibus illius Religionis, similiter postquam demigrant à seculo isto, consequuntur Missas, Officia, disciplinas, quas Fratres Religiosi pro ijsdem ex vi promissionis in literis expressæ facere obligantur. quo circa magni æstimari debent huiusmodi literæ fraternitatum. & hæc de communicatione meritorum.

Quod autem ad participationem Priuilegiorum spectat, hoc generaliter obseruandum est, quod Priuilegium concedens communicationem Priuilegiorum & Indul-

Indulgentiarum, intelligitur de concessis, non de concedendis, nisi expressè dicatur: & de actu valentibus tantum; tamq; de concessis à Papa quàm de acquisitis consuetudine præscripta.

Iam verò in specie Ordo S. BENEDICTI gaudet omnibus priuilegijs & gratijs omnium Congregationum eiusdem Ordinis, vt Casinensis, Cisterciensis, Montisserati, Vallisoletanæ &c. idq; ex concessione EVGENII IV. Bulla 5. in Bullario. IVLII II. SIXTI V. Bulla 21. & 23. LEONIS X. Bulla 37. quæ est pro toto Ordine BENEDICTINO. Supra hæc, Casinensis Congregatio participat omnium Ordinum Mendicantium priuilegia ex Constit: PII V. Est etiam magna quædam concessio GREGORII XIII. Cisterciensibus data, in qua illis omnium prorsus Ordinum Mendicantium & non mendicantium communicat priuilegia & gratias, easq; tàm concessas quàm etiam concedendas cuicunq; Ordini & pijs locis, dummodo sint in vsu & Tridentinis Decretis non aduersentur. Totus proinde Ordo S. BENEDICTI eodem priuilegio gaudet. Consequenter & Tinecensis Monasterij Fratres, etiam absq; his specialibus communicationibus, quas ex Archiuo produco, participant Priuilegia Congregationum totius Ordinis BENEDICTINI, & aliorum omnium Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium.



SCRIPTVRA I.

SVMMARIVM.

Anno 1391.

Confraternitas cum Benedictinis Lubinensis Monasterij, seu literæ gratiosæ quarum vigore Tinecenses participes sunt operum ab eis piè factorum, & defuncti suffragia referunt assignata.

Habetur in Archiu: sub lit: T, *n.* 2,



Enerabili in Christo Patri, Domino Msciflao Abbati, totique Conuentui Monasterij Tinecensis Ordinis S. BENEDICTI Cracou: Diœc: F. Thomas Diuinâ miseratione Abbas Monast. Lubinen: Ordinis eiusdem, Diœcesis Posnaniensis, benignas ac deuotas in Christo orationes, cum incremento salutis, pariter & honoris. Attendentes vnà cum Conuentu nostro, deuotionem & affectum vestrum, piæq; dilectionis fauorem, quem pridem ad nós per F.

Paulum vestri Cœnobij Prof: per vestras Patentes literas, fraternitatis mutuæ amorem in se continentes, amorosè transmisistis; Nos quoque eandem fraternitatem renouare & charitatiuè approbare cupientes, damus & concedimus vobis plenam ac omnimodam fraternitatem & participationem omnium bonorum, quæ in præsenti per nos fuerint facta & per subiectos nobis, ac successores nostros videlicet in Missis, vigilijs, orationibus, eleemosynis, ieiunijs, & alijs operibus & exercitijs spiritualibus, quæ Diuina clementia per nos ac fratres nostros dignabitur operari vsq; ad consummationem seculorum. Hæc insuper adijcientes, vt postquam alicuius de Monasterio vestro obitus nobis fuerit nuntiatus, ex tunc nos tenebimur, Vigilias cum nouem Lectionibus pro Abbate, & pro quolibet Fratre Conuentuali, solenniter in crastino Missam decantantes, pro remedio animæ ipsius dicere & complere. Harum, quibus nostrum & Conuentus nostri sigilla sunt appensa, testimonio literarum. Actum & datum in Monast: nostro die B. Luciæ Virginis sub Anno Domini M. CCCXCI.

Hæc communicatio meritoriorum operum & suffragiorum, à Lubinensi Conuentu capitulariter est rursus approbata, innouata, reassumptaq;, die 30 Maj 1628, & ad Tinecense Monasterium, in forma patenti ad rei memoriam, transmissa. cuius authenticum habetur in Archiu: sub litera T. *num* 10.

SCRIPTVRA II.

SVMMARIVM.

Anno 1453.

C*Onfraternitas cum Religiosis Ordinis S.* FRANCISCI *de obseruantia, in vita pariter & in morte, quam Beatus Ioannes Capistranus instituit.*

Habetur in Archiu: sub litera T. *num* 3.


Enerabili in Christo Patri & Domino Matthiæ Abbati Monasterij Tinecensis Ordinis S BENEDICTI Cracouiensis Diœcesis, pariterq; Priori, Subpriori, totiq; Conuentui eiusdem Monasterij, insuper & familiæ eiusdem Conuentus, Ordinis Seraphici Patris nostri S. FRANCISCI benefactoribus deuotissimis: F. Ioannes de Capistrano eiusdem Ordinis minimus & indignus Hæreticæ prauitatis Generalis Inquisitor, cum oratio-

orationum suffragio salutari, omnium incrementa virtutum. Quamuis ex charitatis debito omnibus teneamur, illis tamen longè amplius obligamur, quorum dilectionem certis beneficiorum indicijs frequentius experimur. Proinde vestræ Deuotionis sinceritatem attendens, quam ad nostrum & præfati P. N. S, FRANCISCI geritis Ordinem, veluti clarâ experientia cognoui, dignum putaui & diuinæ acceptabile voluntati, vt ab ipso Ordine prærogatiuam sentiatis spiritualium gratiarum. & quòd nudi temporalibus bonis, charitatis vestræ subsidijs dignam rependere vicem nequaquam temporaliter valemus, spiritualibus nihilominus beneficijs, prout in nostris apud Dominum Deum nostrum seruamus desiderijs, compensare spiritualiter affectamus. Eapropter ego qui specialem authoritatem habeo recipiendi quoscunq; deuotos nostri Ordinis, ad confraternitatem FF. Minorum de obseruantia nuncupatorum, & Sororum Minorissarum, & S. Claræ seu Sancti Damiani de obseruantia nuncupatarum, & eorum qui de Pœnitentia tertij Ordinis dicuntur, in partibus cismontanis, Vos Venerabilem Patrem D. Matthiam Abbatem Monasterij Tinecensis supratactum, totumq; Conuentum atq; familiam eiusdem Monasterij, nec non Animas vestrorum defunctorum, ac omnes pro qui⁹ intenditis, ad Confraternitatē nostrā & ad vniuersa & singula nostræ Religionis suffragia, in vita recipio pariter & in morte. plenam vobis participationem omnium charismatum & spiritualium bonorùm, videlicet Missarum, orationum, suffragiorum, officiorum Diuinorum, ieiuniorum, disciplinarum, pœnitentiarum, peregrinationum, inspirationum, prædicationum, lectionum, meditationum, contemplationum, obseruantiarum, deuotionum & omnium aliorum Spiritualium bonorum, tenore præsentium gratiosè conferendo, quæ per Fratres nostros & dictorum Ordinum sorores, nec non aliorum de Pænitentia siue de tertio Ordine Beati Francisci in partibus cismontanis degentes, operari & acceptare dignabitur clementia Saluatoris. Addens insuper de dono & gratia singulari, quod cum Diuinæ placuerit voluntati de exilio instantis miseriæ vos vocare, vesterq; obitus multo (annuente Domino) tempore differendus, nostro fuerit Capitulo nuntiatus, idem volo vt pro vobis fiat officium, quod pro Fratribus nostris defunctis, recitatis ibidem annuatim ex more, per totum Ordinem fieri consueuit. Valeat feliciter vestra deuota & feruens charitas in CHRISTO IEZV Domino nostro in æternum Amen. Datum in ciuitate Cracouiensi Quartadecima die mensis Octobris, Anno Domini M.CCCCLIII.

Hanc Communicationem R. Lucas Commißarius FF. Minorum de obseruantia nuncupatorum, in partibus Prouinciæ Polonæ de anno 1503 rursus instaurauit. habetur sub T. *n.* 6.



SCRIPTVRA III.

SVMMARIVM.

Anno 1516.

Confraternitas cum Cistertiensibus Monasterij Claratumbæ in vita & in morte.

Habetur in Archiu. sub litera T. *n.* 7.



Euerendo in Christo Patri Dño. STANISLAO BARANOVVSKI Abbati Tinecensi, eiusq; toti Conuentui Ordinis S. Benedicti Diœcesis Cracouiensis Fr.: Ioannes Abbas totusque Conuentus Monasterij Claræ tumbæ alias in Mogila Ordinis Cisterciensis & Diœcesis Cracouiensis salutem in Domino & spiritum pietatis votis sedulis promereri. Cum gratiarum cælestium plenitudo, quæ ab immensa clementia Redemptoris copiosius in deuotos seruos Dei diffunditur, omnibus partienda sit & communicanda, illis abundantiori pietate largienda est, qui terrenis illecebris abdicatis, in custodiendis præceptis Diuinis, secundum gratiam à Domino datam, inuigilant incessanter: vt sic multiplici Sanctarum orationum ac piorum suffragiorum præsidio adiuti, & hic augmentum gratiæ, & in futuro vitæ æternæ præmium facilius pariter consequi valeamus. Et quia humilis Deuotio vestra satagit Fraternitate nobiscum vniri, nobisq; votiuum existat, non in incertum currentibus, sed ad brauium felicitatis æternæ festinantibus opem ferre, quantum nobis ex alto & eiusdem Ordinis nostri gratia datur, vestræ humili & deuotæ petitioni annuentes, de vnanimi omnium nostrum consensu vobis, & cuilibet vestrum, successoribusq; vestris, damus & conferimus plenariam perpetuamq; Confraternitatis participationem; vtq; omnium Missarum, Diuinorum officiorum, ieiuniorum, eleemosynarum, obseruantiarum, abstinentiarum, pœnitentiarum, disciplinarum, cæterorumq; quorumcunq; bonorum quæ per Nos & successores nostros pientissimus DEVS de sua ineffabili misericordia & gratia operari dignabitur, ex nunc & in antea participes sitis in vita pariter & in morte. Et ne in officijs coniunctæ Confraternitatis nostræ, ex neglectu & incuria cuiuspiam, Fratres vita functi priuentur suffragijs, volumus & præsentibus nos sub pœna excommunicationis obligamus, quam ipso facto si non expleuerimus incurremus, vt cum Diuinæ placuerit voluntati quis Fratrum vestrorum morte interceptus fuerit, atq; de exilio

huius

huius miseriæ vocatus, diesq; obitus sui nobis commonstratus extiterit, pro tali pietatis officia peragere, Duas videlicet Missas quilibet sacerdos, vnamq; in Conuentu cum Obsequijs decantandã, subgradus quilibet Psalterium vnum, & cæteri cætera, quæ ex [illegible] soluere obligantur. Harum literarum vigore me-[illegible]ibus in rei testimonium sigilla nostra sunt subappensa. Datum in supradictonostro Monasterio Clara tumba, Quintadecima die mensis Septembris Anno Domini, M. D. XVI.



SCRIPTVRA IV.

SVMMARIVM.

Anno 1633.

COnfraternitas cum Franciscanis Conuentualibus in vita & in morte.

Habetur in Archiu: sub lit: T. *n.* 10.

FRater Ioannes Baptista Berardicellus Larinensis Artium & Sacræ Theologiæ Doctor, vniuersi Ordinis Min: Conuent: S. Francisci Apostolica author. Vicarius Generalis; Dilectis Religionis nostræ amicis & benefactoribus RR. Patribus & Fratribus Conuentus Tinecensis Ordinis S. BENEDICTI Professis, charitatis & pacis abundantiam. Franciscanam Religionem nostram in altissimâ paupertate fundatam, secularium contemptu rerum stabilitam, soliusq; inopiæ & egestatis diuitem atq; opulentam, considerantes Summi optimiq; Pontifices, eam singulari complexi sunt beneuolentiâ (Vrbanus V. præsertim) ideoq; amicorum & benefactorum piæ munificentiæ, temporalia referre minimè posse arbitrati, vt eorum beneficia terrena cælestibus, transitoria perpetuis, deficientia permanentibus gratijs & indultis, quibus eadem Religio ditatur & decoratur compensare valeret, Apostolica concesserunt liberalitate: ne videlicet eorum pietas debito careret prouentu, & nostra paupertas notam subiret ingratitudinis. Nos igitur eiusdem Religionis per Diuinæ clementiæ & Apostolicæ sedis gratiam ministri & dispensatores effecti, pias eiusmodi concessiones non melius aut di-

gnius quàm in vos & familiam vestram collocare existimantes, quorum in Religionem nostram non mediocris cernitur deuotio, multaq; in dies exuberat beneficentia, idcirco vos inter amicos nostros beneuolos, & benefactores præcipuos adnumeramus & adscribimus, atq; de Beatissimæ V. MARIÆ eiusdem Religionis perpetuæ protectricis, Sanctiq; Patriarchæ nostri Francisci, necnon Sanctorum Confessorum Bonauenturæ Ecclesiæ Doctoris, Antonij Patauini, Ludouici Episcopi, Ludouici Regis, Bernardini, Didaci, Iuonis, & Elzearij; Sanctorum Martyrum, Berardi, Petri, Accursij, Adiuti, Othonis, Danielis, atq; sociorum, Sanctæ Claræ Virginis, vtriusq; Reginæ Elizabeth, cæterorumq; Diuorum qui ex hac nostra Franciscana militia triumphant in cælis coronati, certissima confisi intercessione, Apostolicaq; vt præfertur nixi authoritate, omnia merita quæ sacrificijs, officijs, ieiunijs, vigilijs, orationibus, peregrinationibus, disciplinis, lacrymis, macerationibus, prædicationibus, confessionibus, studijs, meditationibus cæterisq; pijs operibus quæ obedientia, castitate, paupertate reliquisq; Regularibus virtutibus adiutricibus per vniuersum Orbem Fratres & Sorores nostri Ordinis (DEO promouente & consummante) feliciter consequentur, vobis cum in vita tum in morte participanda vltro communicamus & libenter impartimur. Summum omnium retributorem DEVM accuratioribus precibus exorantes, vt vos triumphantium Franciscanorum palmis & trophæis laureare dignetur, quos militantium patronos & amicos adoptamus & exoptamus. In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti Amen. Datum in Conuentu Calissiensi 20. Septembris Anni Domini 1633.



SCRI-

SCRIPTVRA V.

SVMMARIVM.

Anno 1638.

Confratria & Communicatio Priuilegiorum, Indulgentiarum, aliorumque quorumuis bonorum spiritualium in Ordine Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ, conceditur Tinecensibus à Generali eiusdem Instituti.

Habetur in Archiuo sub lit: T. *num: 13.*

FRater Philippus à Sancto Iacobo Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. ELIÆ Præpositus Generalis, Admodum Reuerendis Patribus & Fratribus Monasterij Tinecensis in Regno Poloniæ Ordinem S. BENEDICTI Professis, æquè præsentibus ac futuris in Domino Salutem. Cum Salutis nostræ auctor JESVS CHRISTVS, præsentes discipulos & nos absentes imitatores suos erudiens, singulari fraternæ charitatis præcepto obstrinxerit, vt scilicet diligeremus alios quemadmodum ipse dilexit nos; & tanto magisterio, & instituto nostro, valde consentaneum est, vt saluti proximorum operam similem ei, quam Redemptor noster nauauit, impendamus. Cum verò ipse sic nos dilexerit, vt labores, dolores, operaq; sua omnia in salutem nostram, cum infinito merito ac satisfactione direxerit, nullum eius imitandi modum similiorem inuenire posse videmur, quàm si è pijs laboribus & operibus nostris, quæ ex ipsius munere præstamus, & spiritualibus bonis quibus ex ipsius thesauro fruimur, partem aliquam proximis tribuamus. Quapropter nos, qui (licet immeriti) prædictæ Congregationi præsumus, & bona eius augere ac in alios, (iustis de causis) deriuare debemus, confisi meritis & precibus Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris DEI & nostræ, cui specialiter famulamur, ac eius Sponsi Sanctissimi IOSEPH, nec non Sanctorum Prophetarum ELIÆ & ELISÆI Patrum nostrorum, Sanctorum ANGELI & ANASTASII Martyrum, ALBERTI & CYRILLI Confessorum, ac S. TERESSIÆ Virginis, Matris nostræ, & aliorum Sanctorum atq; Sanctarum Ordinis nostri, & omnium Sanctorum atq; Sanctarum DEI, vos peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium Priuilegiorum, Indulgentiarum, precum, ieiuniorum, disciplinarum, peregrinationum, piorum operum, aliorumq; quorumuis bonorum spiritualium totius nostræ Congregationis admittimus: precamurq; Diuinam bonitatem, vt vos per hoc nostrum ministe-

ministerium, prædictorum bonorum cum prouentu multo consortes efficiat. Datum Romæ in Conuentu nostro Sanctæ MARIÆ de Scala, die xx. Mensis Maij 1638. Frater Philippus à Sancto IACOBO Præpositus Generalis. Frater Alexius à Sancto ALBERTO Secretarius.



SCRIPTVRA VI.

SVMMARIVM.

Anno 1650.

Confraternitas cum alma Congregatione Casinensi, quæ Perusij in Capitulo Generali Tinecensibus Priuilegiorum suorum & Gratiarum communi cationem indulsit.

Habetur in Archiu: sub litera T. n. 11.

DOn: ALOYSIVS à Venetijs Abbas Præsidens Generalis cæterique Definitores Congregationis Casinensis alias Sanctæ Iustinæ de Padua Ordinis Sancti BENEDICTI: Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino, D Stanislao de Buzenin Pstrokonski Episcopo Chelmensi ac Abbati Administratori Venerabilis Monasterij Tinecensis, eiusq; Monachis præsentibus ac futuris, Dilectis in Domino, salutem. Religionis zelus, eximiumq; Regularis obseruantiæ desiderium, ac sinceræ deuotionis affectus, quibus in Domino erga nos & Congregationem nostram flagrare comprobamini, promerentur, vt nostram quoque erga uos dilectionem ac mutuam charitatem, propensiori ac peculiari argumento demonstremus. Quapropter Diuinâ confisi pietate, authoritateq; à Sacrosanctâ Apostolicâ Romanâ sede concessa, Vos in communionem omnium Priuilegiorum & Indulgentiarum tam Spiritualium quam temporalium admittimus, ac libenti animo recipimus, Monasteriumq; vestrum tanquam ipsius nostræ Congregationis germanum ac de gremio nostro, vosq; tanquam confratres ac filios agnoscentes, nostra quoq; Monasteria, vbicumq; locorum, vestris semper commodis referata ac paratissima esse volumus, quorum precibus apud Altissimum nos pariter commendatos fore confidimus. In quorum fidem has nostras præsentes fieri, nostriq; soliti signi appensione muniri iussimus. Datum in Monasterio nostro Sancti PETRI de Perusio. in Capitulo Generali ibidem celebrato, Anno redemptionis humanæ MDCL. Die VIII. mensis Mai.

Don: Gregorius ab Aretio Scriba Capituli Generalis mps.

SCRI-

SCRIPTVRA VII.

SVMMARIVM.

Anno 1658.

Confraternitas cum Benedictinis Vngariæ in vita æquè ac in morte: vbi & Priuilegiorum communicatio asseritur.

Habetur sub litera T. *n.* 12.

IN nomine Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. ANDREAS PLACIDVS Magger Archiabbas Sancti MARTINI in sacro Pannoniæ monte, Ordinis S. BENEDICTI, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Mtis Consiliarius, Frater Ladislaus Prior F. Ioan: Subprior, cæteriq; Patres & Fratres eiusdem Conuentus Sancti Martini Professi; omnibus & singulis præsentes literas lecturis, cælestis gratiæ amplitudinem & nostræ beneuolentiæ studium. Cum iam opificio Diuino, post nouellam Ordinis nostri in Regnum Vngariæ reductionem, iustus Archicœnobij nostri personarum omnipotenti DEO (sub vexillo Patriarchæ nostri Diui BENEDICTI) famulantium excreuerit numerus, messis & vindemiæ nostræ tàm temporalium quam Spiritualium gratiarum & quorumcunq; Priuilegiorum, alios etiam eiusdem germinis nostri Benedictini, Venerabiles Conuentus de Regno Poloniæ participes facere decreuimus. Vt itaq; & nostrorum præmiorum fulgor, eorum adminiculis magis clarescat, & robur vnionis sacræ ad tolerandas quascunq; aduersitates in mutuá societate consolidetur, Cœnobijs Regni Poloniæ, nempe insigni ac Regali Monasterio Tinecensi, Sieciechouiensi, Calui montis, Lubinensi, Mogilnensi quoq; & Plocensi, ac eorum singularibus personis, & locis Particularibus, Præposituris, Ecclesijs atq; Capellis, Gratias & Priuilegia nostra qualiacunq;, tàm à Sancta Sede Apostolica, quam a S. Stephano Rege Fundatore nostro, alijsq; Serenissimis Regibus nobis indulta, insuper & ab inclyta Congregatione Casinensi nobis specialibus literis communicata, fraternè impartimur & libenter communicamus, iuxta literas Casinenses, tenoris talis. Reuerendissimis in Christo Fratribus Abbati & Conuentui Sancti Martini de Sacro monte Pannoniæ, Aldenulfus Dei Gratia Casinensis Electus, & vniuersus Sacri Cœnobij Casinensis Conuentus, sic Marthæ ministerium exercere, vt pars optima non depereat Mariæ. Regina virtutum charitas, quæ omnibus virtutibus velut quibusdam pretiosis coloribus, veterem hominem renouat, omni nobilitate no-

 bilior

bilior, miro modo & disgregatos ac intercapedine locorum disiunctos, radijs quibusdam copulat & coniungit, & homines diuersi generis quasi dispersiones Israelis ad vnum ineffabili vnione reducit, vt idem sit Deus & Pater omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Quæ licet varietate delectabili omnium electorum corda deauret & ornet, in se tamen, per amorem tanquam pia mater, colligit vniuersos. In cuius aureis fimbrijs, nos qui sumus in fine seculorum vna vobiscum adscripti, secundùm quod Apostolica tradit authoritas. in ea fide quæ per dilectionem operatur, & Monasticæ Religionis obseruantiâ quâ nos Eximius Pater Benedictus instruxit, idem cor & animum gerimus, & pro vobis tanquam pro nobis Regi Regum Domino supplicamus. in quo non melius tantæ virtutis impleri constat præceptum, quàm vt exhibeamus proximo, quod nobis secundum Deum volumus exhiberi. Proinde vestram Fraternitatem propensius exoramus, quatenus post Martinum vestrum; nostrum in vestris pectoribus habeatis Benedictum, quia Benedictus noster vestro Martino detulit, cum eius Oratorium in nostro Monasterio fabricauit. simul etiam in vestris orationibus & beneficijs Spiritualibus nostri memoriam habeatis, quia quantum nobis licet, vos participes fecimus orationis & Spiritualis benedictionis, vt quibus vna est in terris Religionis professio, eisdem sit in cælestibus, Diuinæ laudis iugis & miranda confessio Statuimus enim vt annis singulis in festo Conuersionis Sancti Pauli vestri memoriam solenniter faciamus, quam pro nobis & fratribus nostris à vobis etiam fieri humiliter peroptamus. Datum in Sacro Monasterio Casinæ VII. Kalendas Februarij anno à Domini natiuitate 1112. Volumus itaq; per hanc Sanctam vnionem, omnium Priuilegiorum & gratiarum participationem atq; communicationem, sicut ipsorum nobis Monasteria, sic nostrum quoque Cœnobium ipsis semper reseratum fore, nec pro hospitibus sed pro domesticis Dei, tanquam vnius Patris filios in suis liminibus adinuicem habere & haberi. Vt autem ex hac vnione sanctâ, non tantum nobis superstitibus temporalia sint aliqua solatia, verùm vt æterna quoque defunctis fratribus nostris communium suffragiorum nostrorum fiant remedia, deuotè statuimus & pollicemur, nos pro omnibus Cœnobiorum illorum in Domino demortuis fratribus, ac si pro nostris genuinis, quamprimum insinuatum habuerimus Altissimo supplicaturos, idem ab ipsis confidentius nobis etiam fieri expostulantes, In quorum fidem præsentes manibus nostris subscriptas sigillo nostro communiri fecimus. Actum in Archicœnobio nostro Sancti MARTINI è sacro Pannoniæ monte, die decima mensis septembris Anno Domini 1658.

ANDREAS PLACIDVS Magger Archiabbas Sancti MARTINI Fr: Ladislaus Prior & totus Conuentus.

DISTINCTIO III.

In qua particulares quædam Tinecensis Monasterij, Antiquorum consuetudines recensentur.

TInecense Monasterium, postquam singulari beneficio Casimiri Primi Regis Poloniæ assurrexit, amplissimæ & Sanctitatis opinione celeberrimæ Congregationi Cluniacensi incorporatum, ipso sic Rege volente, vnitumq; fuit. Et quemadmodum primi noui Cœnobij incolæ ex Cluniacensi asceterio vocati, Tineciæ consederant, sic omnem viuendi rationem & religiosæ conuersationis modum, qui in obseruantia Cluniacensi vigebat, hic quoq; sectabantur. Eratq; ea consuetudo per annos penè trecentos à primâ fundatione continuo obseruata, vt & Abbates ex solis Cluniacensibus Tineciœ ordinarentur, & Statuta illius loci, cum triennali visitatione, ritusq; Ecclesiastici, & claustrales mores ijdem qui Cluniaci hic quoq; perennarent. Extat huius rei in nostrâ Bibliothecâ documentum euidentissimum membraneus vetustus liber, in quo Antiquæ Ordinationes Cluniacensium pro vsu Monasterij Tinecensis descriptæ continentur; quas in publicam proferre lucem hoc loco statueram: sed cum extinctam, & iam in aliam commutatam Congregationem Cluniacensem cognouerim, eiusq; obseruantias veteres in ritus diuersos transiuisse legerim, superuacaneum tandem censui Antiquarijs relationibus chartas onerare: maximè cum Tinecenses à multis annis à regimine Cluniacensi (quod & ipsum iam ab annis centum est immutatum) defecerint, nullamq; ad illud in præsenti relationem agnoscant, & alijs legibus in facto temperentur; tum quod recentiora statuta ad obseruandum Regularibus, Pontificum authoritate nuper decreta, pro priscis illis obsoletis hoc loco inserere satius existimem: tum etiam ex ea causâ vetustas Maiorum ceremonias & priscam deuotionis formam prætermisi, quòd emendatioribus nunc fruamur Rubricis Breuiarij circa Diuinum officium recitandum in Choro, & Missalis præscripto circa Sacrosancta altaris mysteria debitè conficienda, de quibus rebus, multus est ille Antiquarius codex.

Ne tamen vniuersam Antiquitatis memoriam posthabuisse videar, quam Venerandam æterna lex sanciuit, simulq; vt aliquorum deuotioni ergà priscos Maiorum nostrorum laudatissimos mores, & piæ eruditioni nec condemnandæ quorundam auiditati noscendi res veterum, satisfaciam, Statuta Antiqua palympega, quæ & pietatem priorum referunt, & moribus probis non obsunt, ex illis veteramentis, legentium oculis subijcio nonnulla.

§. I.

Consuetudines festiuæ Monasterij Tinecensis.

FRiuolæ & illiberales Consuetudines istæ Maiorum nostratium, quæ geniales hilaritates festis diebus seruari solitas memorant, ne cuipiam forte videantur, eius censuræ contemperandæ gratiâ, & genio velificando pauxillum hæc breuiter subinfero. Non solum ob honorem Martyrum, qui primi honore affecti sunt, eorumq; Natale celebratum, verùm etiam Confessorum, ac Ecclesiarum Encæniorum, fuerunt acta conuiuia. ob quam rem, *festiuare*, & *festiua*, pro conuiuari & conuiuijs dicimus, quia consuetum erat Diebus Festis conuiuia agere. Quæ causa extitit, cur Concilia prohibuerint Quadragesimæ tẽpore, Sanctorum festa vel certe Octauas eorum venerari, ipsaq; in aliud tempus reiecerunt, ne solitis conuiuijs, Quadragesimæ rigor violaretur. Nefas quippè erat, festis diebus ieiunium obseruare. Atq; inde est, quòd S. Gregor. lib: 2. dial c. 1. refert, in Paschalis solennitatis die, Presbyterum quendam longius manentem Dei monitu Sanctissimo Patri Benedicto in specu Sublacensi degenti, alimenta quæ sibi ad festum diem Presbyter parauerat detulisse, & ad conuescendum Sanctum inuitasse, hacq; ratione persuasisse, *Hodie Resurrectionis Dominicæ Paschalis dies est, abstinere tibi minimè congruit, quia & ego ad hoc missus sum, vt Omnipotentis dona Dei pariter sumamus.* Ob eandem causam magnus ille Pontifex Remigius, legauit supremis tabulis, fertilem vineam nepoti suo Agatimero, eâ conditione, vt is eiusq; successores, annuum sacerdotibus Laudunensibus in B. MARIæ celebritate, instruerent epulum.

Eulalius etiam Atonnæ Ecclesiæ Presbyter, cum Sacerdotes & Clericos, in festo S. Vitalianæ conuiuio excipere vellet, eiq; vinum deesset, miraculosè ipsi vinum fuit, Sanctæ istius beneficio, inueniendi tributa facultas. quod testatum posteritati Gregorius Turonensis, nostri quoq; Ordinis decus, & scriptor nobilis reliquit. Qui etiam lib: 2. de miraculis S. Martini cap: 16. testatur, cum Bellouacum quandoq; peteret, ac in vado Ligeris constitisset, audisse se à nauclero, quòd cum is in Epiphaniorum festo nihil haberet quò solitò lautius epularetur, conuersus ad Beatum Martinum hoc modo ipsum orauit, *Oro Sancte Martine vini consequendi mihi copiam facito, nec patiaris me egere alijs hilariter conuiuantibus.* quò dicto, piscis ingens de flumine exiliuit, quem nauclerus accipiens, vini habendi modum est assecutus, & cum domesticis benè refectus fuit. Quæ miracula confirmant, conuiuia festis diebus fieri consueta, DEO ingrata havd existere: ac vt talia, Carolus Magnus ea Cænobitis, præcipuis anni festis concessit; sigillatim verò, in celebritate Titularis sancti, Dedicationis, & Patroni Ordinis fieri

posse.

posse indulsit. Nec non Ranco ex Ordine S. BENEDICTI Aruernensis Episcopus, Roberto Abbati Casæ Dei indulsit, vt is cum sex Monachis, totidemq; Conuersis, eiusq; successores, die solenni Assumptionis B. MARIÆ, splendidius in Refectorio conuiuarentur. Sed & Sancti Illidij Cænobitæ, festis, Natiuitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes à Domnis, Abbate, Decano, ac coquinæ officiarijs, quatuor ferculis reficiebantur, quod ius, Supremus Parisiensis Senatus, ipsis ac cæteris eodem iure gaudentibus, astruxit. teste Sauaro & Ioan: à Bosco Cælestino, Biblioth: Floriac: fol: 390. Atq; hoc sermonis præambulo, veluti scuto, tutandis vsibus Maiorum nostrorum præmisso, ipsos Vsus recenseo.

1. D. Abbas huius Tinecensis Monasterij Fratribus in communi Refectorio, bona prandia & solitò meliùs instructas collationes, tenetur istis exhibere diebus. in peruigilio Natalis Domini, & in ipsa die Natiuitatis D. N. atq; in die S. STEPHANI, & in Epiphania Domini, similiter in festo Purificationis & Assumptionis Beatæ Virginis, item Dominica Ramorum, & in Cæna Domini, pariter Dominica Resurrectionis & Pentecostes, & in festo Omnium Sanctorum. Quibus diebus dandum est vinum in Cyathis solitis, & quatuor de carnibus fercula, si ea die carnes comedantur, aliàs pisces cum pipere & croco atq; elixi. Iam autem Exhortatorius ad pietatem religiosam sequendam sermo, his ipsis diebus fieri debet mane in Capitulo per Abbatem vel per Priorem.

2. Ad Abbatem quoq; pertinet, in Solennitate S. Patris BENEDICTI, & Sanctorum Apostolorum PETRI & PAVLI, hospites conuiuio liberalius excipere, & eleemosynam aduenis egentibus conferre.

3. In festo S. STEPHANI, Conuentus totus, Abbati festa Natalitia Domini, & anni noui cum nato Christo exorti, auspicium gratulari tenetur: vbi Prior & duo præcentores amicti sacris penulis, & tres Clerici superpelliceis quoq; induti, reliquis ordine præcedentibus Fratribus, composito agmine Abbatis stubam intrabunt, ibiq; faustis apprecationibus mutuò institutis, D. Abbas strenæ loco Patribus dabit marcas tres, & Fratribus vnam marcam, insuper cænam hilarem.

4. idem Abbas, in festo Natiuitatis Domini, dabit Presbyteris Monasterij, ex veteri consuetudine, marcas viginti, pecuniæ vsualis, quod donarium ab antiquò Capellæ maioris vocatur. In die quoq; Paschatis alias Viginti marcas, quæ Capellæ minoris dicuntur, ijsdem Patribus conferet more solito. De expensis verò marcis Priori constare debebit in quos vsus eæ fuerint dispensandæ.

5. idem Abbas erit astrictus, de vestimentis prouidere Fratrum, quibus floccos seu togas ex rascia conficiendas curabit, tunicas verò alternis annis dabit, in æstate ex muchaiero, in hyeme ex panno.

6. Panem & ceruisiam ad vsum communis mensæ Fratrum, Abbas per suos prouisores ministrare sufficienter obligatur.

7. Quilibet Tinecensis Monasterij Prior erit simul & Custos, habebitq; pro necessitatibus Custodiæ & sacræ supellectilis, censum de villa Sidzina, censum marca-

marcarum quatuor ex Sierczá, de Golikowice & de Przeginia censu s :ex Zorzow Decimam prædialem & cmetonalem, Decimam ex oppido Scauina, & canonem à sculteto in Rybna.

8. Ad mensam Fratrum & coquinam Cænobialem istæ villæ ex antiquo spectant, Rączna, Smierdząca, Ieżierzány, Kostrzec, Łączány, Powozowice, Számborek, Opátkowice, Promnik, Węgrzynowice. Præterea Decimæ omnes quæ Monasterio Tinecensi seruiunt, percipiuntur pro coquinæ Monasterij vsu. Quarum villarum & Decimarum dispositio, & fructuum in rem communitatis accommodatio, ad Priorem Monasterij & Cellerarium spectat.

9. Prior Kalendis Ianuarij die religioso Circumcisionis Domini, ominis boni gratiâ pro toto anno capiendi, hilarem mensam auctis cibis potuq; aliquantum, exhibebit fraternitati communi. eritq; hæc strena Prioris, ad cuius vsuram & participium, Dominus etiam Abbas per duos grauiores Patres inuitabitur.

10. Dominicâ Septuagesimæ pinguius curabit Conuentui prandium Prior; similiter Dominicâ Quinquagesimæ, & ferijs secundâ & tertiâ post eand: Dominicam, hilaria Fratribus permittet modesta.

11. Feria secunda Dominicæ Resurrectionis, cum ouo Paschali, haustum vini vltra ordinarium, ex ordine longo curabit Prior Conuentui.

12 Solenniores refectiones ad prandia ministrabit Prior, in festo sui Patroni quem nomine præferet, Dominicâ primâ Aduentus, in festo S. MAVRI, S. STANISLAI, & in Anniuersario Dedicationis Ecclesiæ Cænobialis, item Dominicis diebus qui primò eueniunt post quatuor anni tempora.

13. Quibus diebus initia harum Scripturarum legentur, 1. Regum, Sapientiæ, Iob, Iudith, portio specialis pro collatione super dabitur. item qua die inchoabitur in Aduentu, *ô Sapientia*, dimidium portionis consuetæ de vino detur.

14. In festo S. MARTINI, Infirmarij præpositus ex reditibus Apothecæ conuiuium lautius Conuentui procurabit, ad quod & D. Abbas inuitandus erit, mutuæ beneuolentiæ confirmandæ ergò. idem Infirmarius pro hyeme melotas ouinas nouas seu pelliceas emet Patribus, & fratribus antiquiores detritas distribuet.

15. Cellerarius etiam Monasterij, extraordinarias re creationes Patribus & Fratribus ter in anno procurab't, semel ante Purificationem in Ianuario, & bis in autumno sub tempus colligendorum fructuum ex pomarijs Monasterij.

Hæ sunt interim veteres Consuetudines Cænobij Tinecensis quæ reparandis corporis virib⁹, augendæq; charitatimutuæ inter Fratres subinde obseruabantur, quarũ vix aliquæ iã sunt in vsu, cũ planè ad mutationẽ Abbatũ Tinecensiũ, omnia in Conuentu sint immutata. Atq; hic cauillatores aulici & seculares nonnulli, quibus volupe est Monachorũ facta per fumos vendere iustissimè corripiendi essent, qui fictum quoddam vastæ capacitatis vitrum gloriosum in gaza Tinecensi recondi, certoq; hilariorum tempore in commune proferri, quo in ordinem perbibere omnes solerent

rent ineptissimè fabulantur; sed ho um scurrili ludificatione grauitas religiosa non est cur debeat commoueri, cum id lippis tonsoribusq; sit notum, populares nostros dum plures adunati affatim tuburcinantur, etiam ipsis colendis superis solere obtrectare. Interim missis his festiuioribus, ad seria deueniamus.

§. II.

Constitutiones seriæ Monasterij Tinecensis ex veteri M. S. desumptæ.

1. AVctoritas Diuinæ legis nos admonet, vt in domo Domini, quæ est Ecclesia fidelium, vnusquisq; pro viribus sibi collatis, aliquid offerre Domino studeat, pro quo in æternitate præmium recipere possit. Quocirca Beatus HVGO Cluniacensium Abbas VI. non modo in Monastica religione, verum etiam in Diuinisofficijs prouehendis vigilantissimus, cum communi Fratrum consilio decreuit, vt in die sancto Pentecostes Hymnus, *Veni creator Spiritus*, ad Horam Tertiam decantetur (qui videlicet anteà minimè canebatur) quò eiusdem sanctissimi Paraclyti visitatione compungi, amore inflammari, & gratia illustrari mereamur. Vtq; huic tam saluberrimæ orationi, bonum eleemosynæ suffragetur, constituit, vt ipso die abundans refectio à Cellerario pauperibus de pane, vino, & carne exhibeatur, quorum tantus debet esse numerus, quot Fratres fuerint in Conuentu.

2. Decretum etiam ab eodem B. Hugone est, vt officium Defunctorum Generale annis singulis feria v. infra octauam Pentecostes fiat, pro omnibus fidelibus defunctis in cæmeterijs nostrarum Ecclesiarum quiescentibus; idq; eodem fieri debet modo, quo in die solennis Commemorationis omnium Defunctorum secundâ Nouembris.

3. Statutum item, vt pro omnibus vtriusq; sexus parentibus vniuersorum fratrum Congregationis Cluniacensis, Anniuersarium defunctorum ritu solenni in vigilia Conuersionis Sancti PAVLI celebretur.

4. Per quatuor hebdomadas Aduentus Domini, ieiunabunt Fratres, neque recreatio concedatur ijs, his ipsis diebus.

5. Per totum annum, ferijs quartâ, sexta, & Sabbatho ab esu carnium abstinebunt: volumus autem pro ferijs secundis ieiunio Ecclesiæ non præuentis, cum hoc Monasterio esse dispensatum.

6. Quotidie binæ missæ decantentur, hoc custodito vt semper Votiua de Beata insuper legatur.

7. Matutinum officium quotidie decantari debet, vti & reliquæ Horæ diurnæ.

8. Silen-

8. Silentium in refectorio & in dormitorio perpetuò teneatur.

9. Ad cellas Fratrum, seculares ingredi non permittantur.

10. Quicquid à communi Fratrum mensa ciborum superfuerit, pauperibus distribuatur.

11. In Cæna Domini, duodecim pascantur pauperes, & cum eleemosyna dimittantur.

12. Statutum quoq; legitur in anno 1200. IV. Kal: Nou: ne in Domibus Conuentualibus Cluniacensis Ordinis, in quibus disciplina regularis non obseruaretur, aliqui ex seculo ad Nouitiatum reciperentur, per triennium immediatè ab anno præmemorato sequens, quo ad Visitatio generalis per Monasteria singula absoluta esset.

Reliquas Ordinationes cum iam exoleuerint, missas facio: quarum loco Clementis PP. VIII. Constitutiones pro Regularibus editas, substituere decreueram, verum typothetarum tarditate in opere expediendo deterritus, commodiori occasioni easdem reseruo, Syntagmata reliqua ad finem perducendo.

§. III.

In quo Sanctarum Reliquiarum in Monasterio Tinecensi asseruatarum Catalogus continetur.

MAgnus is est thesaurus Monasterij nostri, pretiosior omni lapide pretioso, illustres exuuiæ Sanctorum Christi Martyrum, Confessorum, aliorumque Diuorum, qui Deo pleni fuerunt; particulæ scilicet ossium & corporum, quas, Sancti *sese impendentes & super impendentes* pro gloriâ amplificandâ Diuinâ, alterâ iam sui nobilissimâ parte, Animâ scilicet cælo recepti, alteram adhuc partem, ad vsque vniuersalis resurrectionis tempora, terrestribus incolis concredentes, in mundo dereliquerunt. Hi cælites, quorum sacra pignora in Tinecensi seruantur Archisterio, specialiter quasi eidem loco obligati videntur, pro tam diuturno hospitio, proq; cultu & honore sibi impenso: atq; vt gratiam Tineciæ cumulatam redderent, apud supremi Numinis benignam exauditionem, ita firmiter teneo, pro conseruatione & incolumitate eiusdem loci continuò supplicando, eundem efficacissimè non cessant commendare. Ad quorum cultum in Religiosis pectoribus amplius succendendum, æuiternæ memoriæ gratiâ, breuem istarum Sanctarum Reliquiarum olim Tineciæ depositarum Catalogum subijcio.

Lignum

Lignum vitæ.
De columna CHRISTI.
De veste inconsutâ.
De carcere Domini.
De sepulchro CHRISTI Domini.
De Mensa Dominicæ cænæ.

JANVARII.

Die, 9. S. Secundi Mart:
16. S. Marcelli PP. & Mart:
19. S. Pauli primi eremitæ.
20. SS. Fabiani & Sebastiani Martyrum.
21. S. Agnetis Vir: & Mart:
22. S. Vincentij Martyris.
30. S. Martinæ Virg: Mart.

FEBRVARII.

Die, 1. S. Ignatij Episc: Mart:
2. S. Fortunati Martyris de digito.
5. S. Agathæ Virg: Mart:
6. S. Dorotheæ Virg: Mart:
9. S. Apolloniæ Virg: Mart:
15. S. Faustini Mar:
17. S. Maximi Martyris de capite; & S. Secundini Martyris, etiam de capite.
24. S. Matthiæ Apost:
26. S. Alexandri Episc: & Confes.

MARTII.

Die, 8. S. Felicitatis Viduæ & Mart:
10. SS. Quadraginta Martyrum particulæ insig:
12. S. Gregorij PP. Conf: Eccl: Doct:
13. S. Theodoræ Virg: & Mart:
15. S. Longini Mart:
21. S. P. BENEDICTI Abbatis.
23. S. BENEDICTI Monachi & Martyris.

APRILIS.

Die, 14. S. Tiburtij Mart:
16. S. Optati Mart: de brachio.
23. S. Georgij Mart: & S. Adalberti Episc: & Mart.
28. S. Didimi Mart: de femore.
30. S. Petri Mart:

MAII.

Die, 1. SS. Philip & Iacobi Apostol.
2. S. Sigismundi Regis Martyris.
4. S. Floriani Mart:
8. S. Stanislai Episc: & Mart:
12. S. Pancratij Mart:
22. S. Helenæ Virg:
31. S. Petronillæ Virg:

JVNII.

Die, 4. S. Quirini Mart:
9. S. Primi Martyris.
11. S. Barnabæ Apost:
15. S. Viti Martyris.
22. SS. Decem millium crucifixorum in monte Ararath.
29. S. Petri Apostoli.
30. S. Pauli Apostoli.

JVLII.

Die, 10. S. Marini Mart:
13. S. Margarethæ Virg: Mart:
17. S. Alexij Confes: & Marcellianæ Virginis.
19. S. Santuli Martyris.
22. S. Mariæ Magdalenæ.
24. S. Christinæ Virg: Mart:
25. S. Iacobi Maioris Apost: & S. Christophori Martyris.
26. S. Annæ Matris V. B. MARIÆ
29. S. Marthæ Virg.

AVGVSTI.

Die, 1. S. Sapientiæ Virginis.
2. S. Stephani PP. & Mart:
4. S. Dominici Confes:
6. S. Xisti PP. & Mart:
10. S. Laurentij Mart:
20. S. Bernardi Abbatis.
24. S. Bartholomæi Apost:
28. S. Augustini Episc: & Conf:

SEPTEMBRIS.

Die, 16. S. Euphemiæ V. & Mart:
20. S. Eustachij Mart:
21. S. Matthæi Apost: & Euang:
22. S. Mauritij Mart: & S. Innocentij Martyris, de brachio.
27. S. Leontij Mart: de brachio, SS. etiam Cosmæ & Damiani MM.
28. S. Venceslai Mart:
30. S. Sophiæ Viduæ.

OCTOBRIS.

Die, 5. S. Placidi Mart:
7. S. Birgittæ Viduæ.
15. S. Heduigis Viduæ.
18. S. Lucæ Euangelistæ.
21. S. Vrsulæ & Sociarũ Virginum & Martyrum.
22. S. Cordulæ V. Mart:
26. S. Euaristi PP. & Mart:
28. S. Simonis Apostoli.

NOVEMBRIS.

Die, 11. S. Martini Episc: & Conf:
12. S. Briccij Episc: & Conf:
19. S. Elizabeth Viduæ.
25. S. Erasmi Mart: & S. Catharinæ Virginis & Mart:
30. S. Andreæ Apostoli.

DECEMBRIS.

Die, 4. S. Barbaræ Virg: Mart:
6. S. Nicolai Episc. Conf:
7. S. Ambrosij Episc: & Eccl. Doct:
13. S. Luciæ V. & M. item S. Othiliæ Virginis.
21. S. Thomæ Apostoli.
25. S. Anastasiæ Virg: & Mart:
26. S. Stephani Prothomart:
28. SS. Innocentium capita, brachia costæ; & dentes.
31. S. Paulinæ Virg: & Mart: item S. Siluestri Papæ Conf:

Iam autem quorum dies celebritatis ignorantur, eorum tamen sacri cineres & ossium partes venerabiles, habentur Tineciæ, isti sunt.

Sancti cuiusdam ignoti Martyris.

S. Adeodati Martyris,
S. Renati Martyris.
S. Benignæ Virginis & Martyris.
S. Tarsillæ Virginis & Martyris.

Præter has enumeratas Sanctorum Reliquias, habentur Tineciæ, aliæ quoque permultæ suis dispositæ loculis, verùm, incertum ex qua ratione, nominibus, schedulisq; quas prætulisse videntur, prorsus destitutæ, Habentur insuper & illa sacra, fideiq; indubitatæ Cælitum lipsana, quæ Romà, in anno iubilei magni, 1650. Illustrissimus & Reuerendissimus D. Stanislaus Pstrokonski Episcopus Chelmensis, Abbatiæ Tinecensis pro tunc administrator conuexerat; quæ quidem, insequenti

anno

anno 1655. per Suecos infestas deprædationes agentes in Polonia, disiecta & male tractata fuerunt, dum ea cum alijs eiusdem Episcopi pretiosioribus nonnullis rebus, Tineciæ, in secretiori cellarij angulo caute deposita & muro obducta reperissent. hæc tamen postmodum, à Religiosis diligenter collecta, suisq; recondita thecis (inter quæ Trium Sanctorum Innocentium ossa habentur) in sacrario Tinecensi piè asseruantur. Iam verò isti, quorum nomina hic scripta sunt, omnesq; alij innominati Sancti, quos solius Altissimi sapientia plenius nouit, intercedant pro nobis ad Dominum.

§. IIII.

In quo, de veterum agitur Monasterij Tinecensis Fratrum, studio literario, & manuali in describendis libris labore.

TRansacti temporis, Historiam Tinecensium prosequenti mihi, occurrit speciosa narratio, de Antiquorum Monachorum laudatissimo studio, quod in describendis variorum Authorum libris, passim impendebant. Cuius rei supersunt documenta non pauca, quæ insignem laborem commonstrant, præclara scilicet & antiquissima exemplaria, tomique grandes, egregiâ subtilitate Monachorum conscripti, qui in Bibliotheca eiusdem Cænobij diligentissimè adusq; conseruantur.

Atq; vt libros chorales, vastissimæ figuræ & modi, nec non ponderis ab vno viro valido, vix vnius exemplaris ferendi suppare, in spatiosis & latis membranis, literis trabealibus Lombardicis olim descriptos, & iucundâ initialium literarum ad modum lati palmi, vel potius sesquipedalium deauratione venustos, prætereeam, quos verè libros elephantinos, à magnitudine operum, eleganti scriptione & auripicturâ admirandos, & vix reperiundos alibi existimauerim similes, qui etiam à frequentibus domi nostræ hospitibus, videndæ antiquitatis percupidis, dum reuerenter voluuntur, laudantur copiosè; hoc addito; non facile in alijs librarijs similia opera repertum iri, quæ vetustas temporum, ætati nostræ transmisisset. Hæc volumina, quanquam præsenti tempore apud nos iam non habeantur ad vsum, cum aliorum recentium librorum modernæ necessitati & sacris ritibus seruientium, in promptu copiam habeamus, nihilominus solius honestæ oblectationis ergò, asseruanda cuncti iudicant, ex quorum inspectione, Antiquorum Monachorum memoranda studia, & honestissimorum laborum occupationes claustrales, facilè perspiciuntur.

 Haben-

Habentur verò, exceptis choralibus, centeni alij tomi in Bibliotheca Tinecensi, manibus priorum eiusdem loci Monachorum, partim in solidâ chartâ pergamenea, partim in regali & augusta papyro, ornatissimè exarati, in quibus magna diligentiæ antiquorum vestigia, plurima deuotionis priscæ, & eruditionis maiorum nostrorum argumenta, leguntur, agnoscunturque. Extant Missalia, Breuiaria, Martyrologia, rubro & minio affabre depicta, & coloribus varijs distincta, picturata auro, figurisq; cultissimis & iconibus exornata: extant commentaria, in libros Sacræ Scripturæ, cum glossis & interpretationibus confecta, & manu descripta, extant libri fastorum & historici seculi anterioris, eodem artificio scripti & eleganti colorum tinctura ad gratiam legentis vel inspicientis facile aucupandam, comptissimè variegati: quos dum attentius omnes intuemur, sedulam curam veterum, in scribendis libris impensam demiramur. Quo tam pio & sancto labore, geminam vtilitatem consecutos eos agnoscimus, dum & sibi ad cumulandam solidam gloriam egregiè profecissent, & nobis in præsenti, ad vitæ honestatem & morum formam apprimè deseruiant: quorum exemplo, vtinam ad amorem literarum pariter accendi possimus? qui operas quidem eorum impensè collaudamus, sed ipsi prorsus duritiam laboris perosi, ad similia facienda manus apponere reformidamus.

Erat verò Abbatibus & Monachis nostri Ordinis ad libros incredibile olim studium; quippe qui nouerant, Ordinis decorem, & infirmarum animarum in eis haberi remedium. Libri enim sunt qui nobis futuræ felicitatis desiderium faciunt, præsentis exilij miserias minuunt, vitia pellunt, virtutes inserunt, constantiam in tribulatione tribuunt, fructum indulti temporis producunt. Quid enim, nisi terrena sapere possemus, si non haberemus consolationem scripturarum? Denique à mentibus hominum, fides Catholica cito deficeret, si non haberentur instrumenta scripturarum Nihil ergo melius, quam Diuinis scripturis, cum desiderio amoris incumbere, quibus instruimur, quomodo in viâ Dei solicitè debeamus ambulare.

Cum autem scripturæ legi non possint, nisi scribantur prius, vtile & necessariũ est, vt Monachi ad scribendũ eas in cænobijs diligentissimè exerceantur. Inter omnia siquidem exercitia manualia, nullum adeò conuenit Monachis, neque videtur magis proprium aliud illorum esse artificium, sicut legendis & scribendis voluminibus studium omne impendere. Nam diuinis mancipati officijs, fodere non valemus, duros grauesq; agrorum labores ferre non possumus, quia si foris in operibus rusticis per diem nos fatigari contingeret, diuinum à choro seruitium periret. sed cum Dei famulatus, omnibus sit præponendus laboribus, valde inconueniens esset, vt interioribus omissis, exterioribus se Monachi immergerent. Labor autem scribendi, non impedit horas diuino mancipatas officio, quia dum cursus Horarum per interualla temporum distinguitur, spatium vnicuique conueniens deputatur. Sicut legimus de S. Beda venerabili Monacho, quòd licet

multa

multa volumina scripserit, tamen à Diuino seruitio se raro propter studium consueuerit absentare, sed interuallo horarum contentus, libros quos edidit, pænè innumerabiles scripsit. Pariter fecisse & alios nostri quoque Instituti viros, in omni scientiarum genere præstantissimos, Alcuinum Caroli Magni præceptorem, Claudiũ & Ioannẽ Scotum, præfati Bedæ Doctoris discipulos, qui & ipsi ab infantiâ prope in claustro educati, domestico studio in tantum profecerant, vt insignes Ecclesiæ Doctores ab omnibus ad hæc vsque tempora ijdem habeantur. Sic Rabanus Fuldensis Abbas & Moguntinus postmodum Archipræsul, Strabusque eiusdem Rabani Monachus & Scriba, statis horis chorum accedentes, reliquum temporis studio consecrandò, insignes in Ecclesia Dei Doctores effulsère. Sic Haymo, sic Notgerus, sic Hermanus Contractus, sic alij pænè innumerabiles Monachi Doctores excellentes sunt habiti, qui sub Regula Sancti BENEDICTI humiliter conuersantes, Cænobia pro gymnasijs habuerunt. Hoc autem pacto in doctrinis altissimis scribuntur profecisse, quòd totum, quicquid post peracta sacra deuotionis religiosæ exercitia, temporis habere poterant, legendis, scribendis, vel describendis libris impenderint dedicarintque. Quorum ætas cum artem typographicam & impressoriam in vsu nec dum haberet, multum sane laboris operæq; in describendis libris impendisse eos oportuit. Sed & nunc, multis typis & officinis impressorijs constitutis, vnicuique auenti & scire desideranti homini, sciendum esse pro certo suademus, ne propter impressuram, à scribendis voluminibus vnquam desistat: quia legere, & nihil scribere, est tempus perdere; cum fragilis humanæ memoriæ, hoc vnicum inueniatur subsidium, quæ lecta sunt per longum, inter excerptorum breue, & aduersaria conijciantur.

De Sancto Pamphilo Presbytero id literis proditum habemus, quòd tanto amore librorum tentus fuerit, vt maximam partem Voluminum Origenis, propriâ manu descripserit. Fertur quoque de S. Ambrosio Mediolanensi Episcopo, quòd omnes à se editos libros descripserit propriâ manu, de quibus Trithemius Abbas (ne paucos æstimet quis) vltra centum se reperisse scribit. Hîc iam, quæso, quis Monachorum nostri seculi, in hoc audeat gloriari, quod centum libros, ab alijs editos, in otio Monasterij descripserit, cum hic Beatissimus Pontifex in curâ Ecclesiasticâ positus, & in multis occupatus, plures etiam rescripserit, quos ipse ante composuit. Amor scripturarum cultores suos non sinebat otiosos esse. Sed quia hunc in nobis habere negligimus, otio inerti torpemus, ita vt quæ facillima sunt studiosis, nobis ad operandum difficilia reddantur. ô quam felix esset Ordo noster, si exemplis horum Sanctorum Patrum, illorumq; veterum Monachorum nostrorum, studio incumberemus Scripturarum? quam læta tempora redirent Tineciæ, suusq; honor haberetur Cænobio, si deposito ignauiæ veterno, ad sacrarum literarum lectionem & scriptionem subinde prouocaremur? sed nos, ô vanitas, veterum diligentias, & apices literarum, in voluminib⁹ per eos rescriptis, alijs conspiciendos, ex iactantiâ libenter obtrudimus, æstimantes

mantes non parum inde nobis, nostroque cœnobio laudis & melioris opinionis accedere posse, quod olim Tineciæ eiusmodi scriptores inuenti fuerint, qui grandes exararunt libros, in quorum contemplatione posteri detinerentur. Verùm, timendum esse potius, ne ijdem Parentes & Principes nostri, Ordinisque lumina, grauius in iudicio exurgant contra nos, accusentque desidiam & pigritiam nostram ob hoc, quod eos in operibus bonis & sanctis imitari despexerimus, tempus pretiosissimum inaniter contriuerimus, studium honestissimum salutaresque literas damnabiliter neglexerimus, per quas honor Dei & proximi salus aptissimè promouetur, & animarum non difficulter æterna beatitudo comparatur.

Porrò, vt hoc insuper addam, occasione Monachorum nostrorum, qui olim in literis sacris, & scribendis libris diligentes fuêre; Monachus in scribendo deuotus quatuor vtilitates præcipuas consequitur; tempus quod pretiosissimum est, fructuosè expenditur; eius intellectus dum scribit, illuminatur; ad deuotionem interior affectus accenditur: & post hanc vitam singulari mercede præmiatur. Neque enim potest monachus concessum sibi tempus fructuosius expendere, quàm scribendis voluminibus cum amore Dei insistendo. Nam huic officio DEVS fauet, Angeli congaudentes adsistunt, omnium deuotio fidelium sincera famulatur. Interim etiam, quod bonas deuotasque rescribit materias, cogitationes inanes vel turpes non patitur molestas, verba otiosa non loquitur, sæuis rumoribus non maculatur; sed quietus & solitarius sedens cum gaudio epulatur in scripturis, & bonis exercitijs ad glorificandum DEVM prouocat intuentes. Etenim dum bonas scribit materias, scribendo in agnitionem mysteriorum paulatim introducitur, & interius animo magnificè illustratur. Fortius enim, quæ scribimus, menti imprimimus, quia scribentes & legentes ea cum morulâ tractamus. Mens quoque scribentis ad deuotionem felicius plerumque accenditur dum scripturas ruminans sæpè per eas inflammatur.

Quale autem deuoto scriptori præmium in cælo debeatur, Ioannes Trithemius Abbas doctissimus & Spiritu Benedictino plenus, in suâ Parænesi ad Monachos de laude Sanctarum Scripturarum, hoc exemplo declarat. *Fuit*, inquit, *in quodam Cœnobio nostri Ordinis mihi non incognito frater quidam deuotus, qui in scribendis ad ornatum Bibliothecæ voluminibus magnum habebat studium, ita vt quotiescunque à diuino potuisset vacare officio, ad secreta cellæ se conferens, huic sacrato labori insisteret. Vnde & multa Sanctorum opuscula cum ingenti deuotione excopiauit. Huius mortui ossa, cum post multos annos leuarentur de terra, tres digiti dexteræ manus, quibus tot volumina scripserat, tam integri & incorrupti inuenti sunt, ac si eodem tempore sepulchro fuissent impositi; reliquum autem corpus, vt moris est, consumptum ad ossa fuit.* hæc Trithemius. cuius miraculi testimonio, colligitur, quam sanctum hoc officium apud omnipotentem DEVM iudicetur, cuius meritum vt ostenderet, etiam in mortuis cadaueribus membra scriptorum honorauit. Hoc etiam à quibusdam Asceticis Doctoribus traditur, quod scriptor deuotus & sincerus, in illa retributione iustorum,

Prædi-

Prædicatoris Aureolâ non priuabitur, qui tam multos manu, docere in fide & bonis moribus, est adinuentus; nam quod prædicator loquendo, hic scribendi officio docet. Hinc Petrus Damiani, monastici ordinis decus, & Ecclesiæ disertissimus Doctor Cardinalis, in libro Carminum, de laude scriptorum manualium, sic cecinit.

Prædicat, atque studet, Scriptor, largitur, & orat,
Affligitur, sal dat, fontemque lucemque futuris.
Ecclesiam ditans, armat, custodit, honorat.

§. V.

Quæ nam Abbatiæ & Præpositura ab Archiabbate Tinecensi, eiusque Monasterio, vsque adhuc dependeant.

In Aquila Polono Benedictina, fol: 116. necessario demonstraui, omnia Monasteria Ordinis S. P. BENEDICTI, per Regnum Poloniæ existentia, olim dependentiam suam ab Archiabbate Tinecensi habuisse, idque, Ioannis Dlugosij, fidei integerrimæ scriptoris, authoritate probaui. Quæ iam amplius centum annis, ex illa subordinatione in absolutam euaserunt libertatem, sibique facta capita, iure Archiabbatis vlterius non tenentur: præter hæc Monasteria, quæ adhuc Tinecensium dispositioni & iuribus subijciuntur. scilicet.

ABBATIA TROCENSIS in Magno Ducatu Lituaniæ, Diœcesis Vilnensis.

ABBATIA ORLOVIENSIS in Silesia, Diœcesis Vratislauiensis.

PRÆPOSITVRA KOSCIELNENSIS in Maiori Polonia, Archidiœcesis Gnesnensis.

PRÆPOSITVRA VNIEIOVIENSIS in Maiori Polonia, Archidiœcesis Gnesnensis.

PRÆPOSITVRA TVCHOVIENSIS in Tractu submontano, Diœcesis Cracouiensis.

De quibus Monasterijs, cum iam in illo Opusculo meo egerim copiosius, nihil amplius scribendum occurrit: præterquam, quod silentio præterire non debeam, singulare meum solatium, & ingens honestamentum Tuchouiensis Domûs, imò totius Congregationis Tinecianæ, pretiosissimum clenodium, & thesaurum omni lapide pretioso potiorem, nempè Beatissimæ Virginis MARIÆ IMAGINEM MIRACVLOSAM, in ædiculâ, eiusdem Deiparæ nomini dictâ, & in colle subur-


suburbano, Tuchouiensis oppidi antiquitus extructâ, asseruatam, & in maiori altari eiusdem sacrarij inclusam, quæ & fama miraculorum regionem illam impleuit, & variorum hominum concursu celebratur. vbi nullum tempus, nullusq; mensis abit, quin Sanctissimæ Virginis illa Cella, & Imago incredibili venustate plenissima, à plurimis aduenis frequentetur. Hoc verò cum semper fiat, duo tamen sunt anni tempora, populorum frequentia & celebritate præcipua, vernum & æstiuum, quibus deuoti homines cateruatim Beatissimam Virginem interuisentes, eiusq;sacram effigiem contemplantes, incredibile dictu, quas voces emittant, quæ suspiria ex imo cordis trahant? vt DEVM præsentem adesse illic facile omnes consentiant. pleriq; verò, diuino simul horrore gaudioq; perfusi, adeò loci religione perstringuntur, vt post delicta expiata, cælestisque mensæ vsuram, inter vota & gemitus emolliti, collacrymare cogantur. adeò Icon illa augusta, præsenti DEI Numine semper affluit, vt in intrantes redundet aduenas, sicq; animos deuotorum percellat, vt pios insolito quodam gaudio, improbos horrore perfundat, sitq; ægris remedio, mæstis solatio, torpentibus incitamento, præsidio periclitantibus, perditis saluti: tanta illic referunt peregrini, vel pietatis incitamenta, vel leuamenta doloris, tantùmq; se, pijs eorum mentibus superfundit clementissimus DEVS & tantam omnes hauriunt cælestis lætitiæ voluptatem, vt maximum peregrinationis suæ fructum se cepisse exinde, piè sanctèq; fateantur. Huius ego prodigiosæ imaginis, Historiam, & Miracula quædam redacta in compendium, ante annos septem in lucem publicam typis proposui, vbi varium ac multiplex Sacratissimæ illius Imaginis præsidium, præsentemq; eius in periculis cuiusq; generis opem, ex illustri probatissimorum hominum testimonio, à multis perspectam perceptamq; breuiter connotaui; etsi plura ac maiora omisi, quæ tam in animis quàm in corporibus hominum curandis existunt Virginis Tuchouiensis miracula: cum omnia, quæ vel ante facta sunt, vel in præsenti fiunt Diuinæ misericordiæ ad Matris suæ instantiam beneficia, illa explicare velle oratione, hominis esset, Diuinam potentiam humanâ imbecillitate metientis. Interim, ingens Diuinæ beneuolentiæ pignus, habere videtur Tinecense sodalitium, cui tantæ celebritatis & virtutis Imago specialiter est commissa, vt dubijs in rebus confidat, nunquam sibi eius tutelam defuturam, cuius prædem vademq; à DEO habeat, Iconem Thaumaturgam. Quo in facto, eximia bonitas Diuina, præclarè videtur Tuchouiensem iacturam, ex sale quondam Tuchouiæ effodi solito, & iam à multis annis per voluntatem DEI, extincto deperditoq; emergentem compensasse, & gratiam cumulatiorem in Imagine illustrissimâ Deiparæ Tuchouiæ concessâ, reddidisse & damnum resarciuisse. Iam verò Fodinas salis Tuchouiæ olim fuisse Casimiri Magni Regis Poloniæ priuilegium, anno 1340 Boguslao Abbati Tinecensi concessum, & in Archiuo eiusdem Cœnobij sublit: G. num: 1. asseruatum, plusquam sufficienter probat. atq; hoc tam quæstuoso, Diuinâ dispositione nobis adempto thesauro, ac in amabili, Augustissimæ cælorum Imperatricis, Imagine recompensato, hîc in solatium præsentis fortunæ nostræ breuiter commemorato, in honorem eiusdem Sacratissimæ

tissimæ Virginis eam ipsam IMAGINEM MIRACVLOSAM,



cum Epigrammate olim à me Disputationi Philo: apposito, subijcio.

Flos BENEDICTINI castissima Virgo ROSETI,
Millibus ex Florum, Tu BENEDICTA Rosa es.
TVCHOVIIS vernas quæ fragrantissima CAMPIS,
Cunctaq; odorifero pectora flore trahis.
Cernimus hîc quod crebra Tuæ miracula dextræ,
Sisq; quod afflictis publica facta salus.
Hæc Tua sunt ROSEI cælestia pharmaca FLORIS,
Nam ROSA *de manibus* fit medicina Tuis.



HISTO-

HISTORIÆ MONASTERII TINECENSIS

LIBER IV.

In quo,

BENEFACTORES eiusdem Domicilij, & aliorum Particularium (á TINECENSI REGIMINE dependentium) Monasteriorum FVNDATORES, breuibus Elogijs, & suis Inscriptionibus condecorantur.

Addita

APPENDIX, De Laudibus Congregationis CLVNIACENSIS.



PRÆFATIO.



CVm beneficiorum memoria ſeneſcere non debeat, ſed vt in animis clientum, æternùm viuat ſit opus: FVNDATORVM, BENEFACTORVMquè Tinecenſis Sodalitij Nomina, & breues Panegyres appono. tum vt perennes & conſpicui ſtent tantæ liberalitatis Coloſſi; tum vt noſtræ gratitudinis legantur monumenta. Et quanquam probè ſciam, gratitudinem Noſtrorum non eſſe tam exiguam, vt tota calamo comprehendi poſſit; cum Tinecenſes, aſſiduâ ſuos Mecænates percolant memoriâ, eorumque Pijs in Domino Manibus parentent quotidie, ac viua animo geſtent ſimulachra: ſequuturæ tamen poſteritati plurimùm expedire credo, patentes ſyngraphas & obligationum perſoluendarum arrhabones habere præ manibus, quò æternùm ſtet accepti documentum & dandi incitamentum. Multos autem hîc illaudatos de Conuentu noſtro meritiſſimos Heroes fateor; tot enim ſunt DEI munere, qui per ſexcentos annos ſuæ liberalitatis illapſu res Tinecenſium auxêre, vt numerari etiam, ne dicam exornari præconijs, ſine magno negotio non poſſint: verum Metricula Domûs Tinecianæ, cum cæterorum Nomina & pietatem diſertè eloquatur, & Conuentus Anniuerſario honore ſingulos deueneretur, horum interea placuit ad præſens memorias percenſere, quorum virtutibus & heroica liberalitate, meus hic liber illuſtraretur potius atq; eniteſceret, quam quos ego conſentaneis laudum adoreis exornarem. Hoc tu meum conſilium (Amice lector) & quidquid eſt ſuſcepti amplius laboris, boni conſulas, & libenter amplectere,

VALE,

IVDI-



IVDITHA,
REGINA POLONIÆ.

MAgnorum Regum Neptis, Filia, Coniux, Parens. Wratiſlaum Primum Böemiæ Regem, Patrem, & Adleidem, filiam Andreæ Primi, Vngariæ Regis, Matrem habuit. Auguſta ſanè progenies, ſummorumque Orbis Chriſtiani Principum conſanguinea, & cui naſcendi genus claritudinem, fortuna potentiam, animus dignitatem, cælum ſanctimoniam ampliorem concedere vix potuerunt. Hæc in ætate teneriori adhuc poſita, matre orbata fuit, in cuius demortuæ locum Wratiſlaus, Suantochnam Caſimiri I. Regis Poloniæ filiam, germanam verò Boleſlai Audacis & Vladiſlai Hermani ſororem, fœminam religioſiſſimā in vxorem accepit, ſub cuius inſtitutione pientiſſimâ & pluſquam maternâ curâ, IVDITHA priuigna, pueritiam, & magnam adoleſcentiæ partem, in optimis moribus, diſciplinaq; ſacratiore exegit. Vbi autem eos ætatis annos attigit, quibus in matrimonium puellæ Regiæ viris Principibus tradi conſueuerunt, IVDITHA à multis Illuſtribus procis expetebatur; verum ſuaſu ac ſpeciali inductione Suantochnæ nouercæ, quæ pro Vladiſlao Hermano Monarcha Poloniæ fratre ſuo, ne in eo cælibe, proſapia Regia extingueretur, ſolicita erat, & quæ mores pudiciſſimos, & totam laudabilem priuignæ ſuæ conuerſationem nouerat, Hermano in coniugem data, vti ſocia thori & ſceptri effecta fuit, ſic Regni Lechici ſingulare decus & ſolatium, Domina & Parens æternum memorabilis, ab omnibus agnita commendataq;, Nam pietatem, quà educata fuit, & mentis innocentiam quam cum lacte hauſit, tenacius multò, quam Animam retinuit. Religione verò, & ingenti ſpe, ac in Deum fiduciâ incomparabilis extitit. Cuius præterea deuotionem in ſanctos, munificentiam in templa & Cœ-

nobia, in egenos liberalitatem, erga afflictos & oppressos benignitatem; insuper cuius modestiam in prosperis, in aduersis constantiam, in factis prudentiam, in dictis affabilitatem, erga amicos iuxta & inimicos charitatem, erga domesticos amorem, & beneuolentiam, in omni loco venerandam Regiæ Maiestatis grauitatem, summam deinde suauitatem morum, & candori mixtam in omnes humanitatem, tanquam in Vnico sanctitatis & virtutum omnium exemplari vniuersi admirabantur, & illa tum ætas beata agnoscebat, hæc vero nostra deprauata tempora continuis etiam laudibus prosequuntur, nec non ventura olim posteritas cum magna celebritate perpetim deprædicabit. Quæ Princeps tanto se ditiorem in Regno nostro credebat, quò plura erogabat, illudq; solùm se habere iactabat, quod in pauperum manus deponebat; nunquam in eo quod daret deficiens, nunquam ita dedisse visa aliquid, quin humanitate sua plura promisisset. Cuius signatè munificentiâ, COMITATVS CHROPPI in terra Siradiensi, qui nunc PABIANICE dicitur, cum omni iure & fructu donatus est Prælatis & Canonicis Ecclesiæ Crac: Cuiauiensi vero Episcopatui LAGOVIENSIS Castellania in districtu Sendomiriensi accessit. Nostro quoq; Tinecensi Monasterio XIOZNICENSIA BONA eiusdem gratiâ & liberalitate collata obuenere. Tantis porrò mulier pientissima cælestibus cumulata donis, atq; adeò, in cultum Diuinum sedula, contractam ex sterilitate suâ anxietatem plures annos circumtulit, cui tandem depellendæ, Oratores misit in Galliam Narbonensem, ad Sepulchrum Diui Nostri Ægidij, supplicatum prolem, quæ mæstos Principum Animos ortu suo exhilararet. nec irrita vota fuêre: quandoquidem Sanctissimi Abbatis prodigiosâ reuelatione, de prole suscipiendâ certiores effecti Regij Ablegati, dum pleni spei regrediuntur domum, reperiunt grauidam Iuditham, quæ postea maturo partu, vigesimâ die Augusti, edidit Boleslaum Criuoustum cognominatum. Verùm ipsa post quartum mensem à partu, extremum clausit diem in Vigilia Natiuitatis Domini: fæmina sicut virtutibus omnibus exculta, ita liberalitati cumprimis deditissima, in quâ si magnitudinem animi spectemus plusquam Virago, si liberalitatem ac munificentiam plusquam Heroina, si pietatem ac sanctimoniam plusquam Diua: quæ publicis deseruiens commodis, multisq;

impli-

implicata humanis curis, diuina studia nusquam intermisit, fuitque religiosior in palatio, quàm alia in Asceterio, omnemq; suam felicitatem Regiam in eo positam fuisse censuit, vt cæteris benefaciendo, ipsa immortalitatem ad quam se sciuit esse natam, quantocius adipisceretur. Benefactrici Augustæ, hoc grati animi monumentum cætus Tinecensis ponit, cuius solemnem memoriam diebus singulis frequentat veneraturquè.



BOLESLAVS PVDICVS, MONARCHA POLONIÆ.

IN hoc Principe Verecundus Pudor, Regiam dignitatem adeptus est, qui antea priuatus vixerat semper. Nempe Audaces, armatos animis, & confidentes Duces, plurimi æstimauêre mortales, eosq; solos solio Regum censuêre dignos; cæterùm Verecundia virtus plebeia habita, iam in Pudico ad coronam peruenit. Hic cum lacte genitricis suæ Grumislauæ fæminæ deuotissimæ omni pietate imbutus, ad Principatum paternum tyro suffectus fuit: pro cuius impubis tutela dum armis patrui decertant, Conradi dolo captus & in Sieciechouiensis Cænobij custodiam cum matrê coniectus, post nonnullam detentionem, Abbatis fauore & studio carcerem & vincula cum Grumislaua euasit. Ad Belam proinde Vngariæ Regem facto recursu, cum armorum cognatorum faces restinguere conatur, Kunegundem filiam Regiam in sponsam accepit, cum quâ plurima bona obuenerunt Regno pariter & Principi, iuxta oracula sacra, *Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro*

viro pro factis suis. Eccles: 26. Pulcherrimo scilicet nexu associatus Pudicus, castissimæ Kunegundi, miraculum non ita frequens præstiterunt orbi, dum seruata virginitate, societatem coniugalem percoluerunt. Porrò Boleslaus per annos LII Principatûs sui, parem magnis virtutibus suis fortunam nunquam habuit, ter enim Regno exactus fuit ter eodem potitus; cum ciuium & hostium finitimorum strages bellicas erectâ mente semper exciperet, & inter infortunia infractus permaneret, in viuos, Diuosq; liberalissimus fuit. Hinc Martio furore, solo prostrata templa, cœlo suo & fastigijs iterum, Principe adminiculante, propius admota, publica priuataq; ædificia restituta, hominum ac Diuorum domicilia, tot incendijs Scythicis, Russicis & Lituanicis non deleta, neq; obruta, sed expiata potius sunt ac illustrata. Atq; alia inter benefacta, quibus egregia Pudici virtus, Lechicum cumulauit Trionem, Tinecensi Monasterio nostro à suis Antecessoribus PRIVILEGIA concessa innouauit, & auxit, ac bona OPATOVECENSIA cum suâ Kingâ coniuge condonauit. Exinde Tinecensis sodalitas, Boleslao Pudico & Kunegundi Benefactoribus suis, cum se obstrictam agnoscat semper, hoc quoq; sempiternum gratitudinis suæ anathema proponi imperauit.

VLADISLAVS LOCTICVS, REX POLONIÆ.



Vemadmodum exilis domicilij angustiæ, augustam virtutem non excludunt, ita Locticus in depressâ corporis staturâ, erectam mentem & Gigantem Animum circumtulit. Post adeptos Regni fasces, quamdiu Marti litauit Locticus, tamdiu & Virtuti & Gloriæ; sed postquam eum tædium armorum habere

bere cæpit, soluto sibi suisq; militari baltheo, pudori quoq; cingulum remisit. Quocirca effectus procax & dissolutus, purpurâ spoliatus est. atq; tunc, amisso in subditos imperio, grauiter erubescens, tandem se in sui Dominatum asseruit, ac rursus procuratã religione, conuersoq; in meliora ingenio, Regali diademate iteratis ceremonijs insignitus, cum obstantibus fatis nonnihil colluctatus est, semper tamen ex aduersa fortuna maiorem gustum libauit, & pulcherrimam Heroicarum virtutum laudem apud posteros est consequutus. Magnanimus Princeps, optimè de Regno meritus, cælum quoq; sibi studuit demereri: in quo sempiterna recepturus præmia, temporalia bona sacris & religiosis domibus regali munificentiâ attribuit. Ac inter alia Regiæ beneficentiæ dona, Bona Monasterij Tinecensis, partim venditione, partim donationibus distracta, & ad varios possessores, præsertim ciues Cracouienses deuoluta, Monasterio nostro vindicauit & restituit.

Cuius Æterno Nomini, literarium istud charisma, deuota gratitudo fratrum dedicandum indixit.



MIECISLAVS SENEX,

DVX MAIORIS POLONIÆ ET POMERANIÆ.

EGregia pietatis in Deum, & Ecclesias munificentiæ documenta, apud Scriptores Annalium Poloniæ, hunc Principem legimus præstitisse: quod nimirum Laudensis & Wagrouecensis Monasteriorum Ordinis Cisterciensis in Poloniâ celeberrimorum Fundator extiterit, nec non Lubusense in Silesia eiusdem Instituti annuis reditibus copiosè locupletarit, amplum Hospitale Posnaniense dotarit,

Collegiatam Ecclesiam Calissij, inscriptis prouentibus, erexerit & fundarit: ac insuper PRÆPOSITVRAM KOSCIELNENSEM Ordinis Sancti BENEDICTI instructam amplâ dote, pro suâ Regia munificentiâ, condiderit & exornarit. Quæ sanè liberalitas, potentissimo nonnisi & opulentissimo Monarchæ conueniens erat, qui vltra Regiæ Domûs impensas tam multa magnifica cæteris elargiretur; Nihilominus, tam splendidis beneficijs in diuersos collatis, censoriam contraxit auaritiæ notam, quasi ipsi Polonæ Libertati tributa imperasset, & nihil non venale, sitientissimus auri, in Regno prostituisset. Ter proinde Polonico Solio pulsus scribitur, quod ingenium plus æquo imperiosius, in subditos rectè ingenuos prætulisset, & administros publicorum munerum inexorabiles præposuisset suis. Factumq; eo imperante, vt cum motus terræ insolitus accidisset, multi ad sugillandum Principem acumen dirigentes, quod sub molesto Domino, ceu inviso pondere tellus laboraret, eiusq; se pedibus subtrahere vellet per conuitium palam iactabant: adeò grande ipsi telluri pondus est, grauis popularibus suis Princeps.



GAVDENTIVS, EPISCOPVS CRACOVIENSIS.



Icut arbores fructibus grauidæ, inclinant ramos, & demittunt, & offerunt carpi; sic Viri verâ virtute vberes, & beneuoli & benefici vltrò sunt, & spontè largiuntur. GAVDENTIVS (seu Radost linguâ vernaculâ dictus) Episcopus Cracouiensis ex illustri Rosarum familia ortus, fulgorem Natalium claritate facinorum & In-

fulis sacratis geminando, Humanitate & Munificentiâ cumprimis excelluit: quâ virtute nihil est cunctis hominibus gratiosius, nihil præstantius, nihil æternitati comparandæ, vel sui memoriæ asserendæ apud mortales, accommodatius. Hinc ex consuetæ liberalitatis vsu, Monasterio Tinecensi plures DECIMAS perpetuò donauit Radostus, præsertim illas quæ ex villis à REGE CASIMIRO Monasterio nostro adscriptis, mensam Episcopalem de iure concernebant: Quo memorabili facto, in gratis animis Tinecensium, mansuram sibi perpetuo erexit statuam, suæq; famæ perennaturum locauit mausoleum, eiusq; beneficij memoria apud illos nunquam senescet, nec vlla ætas, de tam illustris Herois laudibus conticescet.

THOMAS STREMPINIVS, EPISCOPVS CRACOVIENSIS.



NIsi STREMPINIVM Præsulem BENEFACTORIBVS Tinecensis Monasterij intexam, magnoperè mihi verendum est, ne Pij Manes eius iurè se offensos existiment, ac mecum dolenter conquerantur. Quanquam mihi, si maximè per eam rationem liceret (fuisse nimirum DEI munere tot Mecænates Tineciæ, vt numerari omnes ne dicam laudari sine negotio non possint) religioni tamen duxerim de STREMPINIO siluisse, cuius generoso inprimis proposito, multi Antistitum, ad Honoris Episcopalis declinandum onus, incitari possunt ac vehementer confirmari.

ri. STREMPINIVS cum sub infulâ in cathedra Cracouiensi laudabiliter annis quinq; sedisset, exosus malitiam hominum & scelera enormia, super quibus ad eum ex officio Episcopalis iurisdictionis fiebat remissio, cedere Episcopatu omnino decreuerat, promerendæ verò æternæ salutis remedium sumere aliud proposuerat: infelicem illam fuisse diem crebrius asserendo quâ Episcopus promulgatus fuit, nihilq; se totâ vitâ suâ stultius egisse, quam dum Pontificatum suscipere consensisset. A quo vt legitimam dimissionem consequi posset, ad Sedem Apostolicam Oratores expediuerat. Interim in Arce Ilzensi sacræ contemplationi instans & colendis Cælitibus attendens, paralisi tactus, ex eâ decessit. Vir magnâ pietate præditus, & qui commoditates mundi, & pompam, impetrandiq; suauitatem vltrò abhorrebat. Beneuolentiæ ipsius argumenta & fauores, cum in multis alijs rebus, cum præsertim circa Præpositurae Tuchouiensis erectionem agnoscit Tinecensis Domus.



IAROSLAVS De Boguria SKOTNICKI, ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS.



QVo Elogio nobis exornandus, vel quibus laudibus efferendus esset Skotnicius, paratissimè haberemus. Verum, diuersorum Scriptorum Fasti, cum pleni sint encomiorum eius, illustriaq; operum illius monumenta seipsa proloquantur; nec non æternâ memoriâ Virum dignissimum fateri cogi-

cogimur omnes, dum Templorum magnificentissimas fabricas, dum Cœnobiorum ingentes moles, dum Palatiorum elegantes structuras, dum villarum, agrorum, & possessionum varias donationes, fundationesq; inspicimus: sola interim in Ordinem Benedictinum propensa animi eius testificatio, & in Tinecenses beneuolentia, narranda sufficiet, quæ ei immortalitatem conciliare & apud seram posteritatem commendatum eum reddere poterit; imo apud DEVM ipsum, cuius honori, Vnieiouiæ Monasterium & Ecclesiam titulo S. NICOLAI, pro Fratribus Tinecensis congregationis ædificauit, eisq; in dotem, villam Bieldrzykovv, supra fluuium Potesz sitam, vbi Wartæ Ovvnia commiscetur, cum omni iure contulit & applicauit. Porrò memoriam huius beneficij, Tinecensis familia, colit beneuolentiâ sempiternâ, nullumq; tempus erit vnquam, quo illius in nos liberalitatis fama subsistat, quin Nomen & facta gloriosa Archipræsulis seculorum memoriâ dignissimi, æternum celebrabuntur, & per ora hominum laudantium tamdiu volitabunt, quamdiu Virtus & Sanctitas in pretio erit.

ALEXANDER VITOLDVS,

MAGNVS DVX LITVANIÆ.



PAr Magno Macedoni sortitus nomen, parem animi magnitudinem habuit. Ætatem omnem armatus transegit. Stertant in Palatijs desides Principes, vt vnus ijs sit labor tueri otia; diuinitatis æmulus Alexander, ne quis, in vitâ vacaret quieti locus, momenta omnia laudatissimis curis impleuit: præsciens annos suos diutur-

nos esse non posse, quos adeò seculorum omnium meritis onerasset. Quin naturæ auaritiam, suâ correcturus industriâ, ætatis pretiosæ vel minimam noluit partem desidiosè perire. Omnis virtus Herois istius in actione semper fuit. cumq; bellicis negotijs & Martijs sudoribus oblectaretur multum, milites suos in ardua non mittere, sed deducere consueuerat, nec imperare solùm bella, sed per se gerere, algoris, ardoris, famis comes assiduus, Vitam suam fecerat, & nobile solatium strenuis, & calcar molestissimum delicatis. Corpus ipsum in animi propemodum naturam coegerat, ita illi & somni tempus arctabat, & amplificabat laboris, vt nullâ re magis quàm fatigatione animum oblectaret. Hinc Scytharum, Moschorum, Liuonum pluries Victor, Domitor & triumphator, quantum ferro posset docuit, & quantum momenti ad triumphos & laureas vigil Prudentia Ducis adferat, victorijs suis declarauit. Bellonæ verò studijs addictus, & quæ erant DEI strenuè prosecutus est, nihilq; antiquius habuit Religione & pietate sincerâ semel cognitâ: quam, dum vna cum Iagiellone fratre didicit in Poloniâ, vniuersæ Lithuanæ gentilitat. Magnus plane Dux ad æternitatem præiuit, & euersis aris lucisq; succisis, lucem attulit patriæ, extinctoq; profano sacrificulorum igne, gentem suam lumine veræ fidei accenso illustrauit. Atq; vt fidem Lithuanico inuectam solo, per se amplificaret magis, Cænobia & templa magnifica ad miraculum Septemtrionis erexit: ea inter, in Arce patriâ Troki, ascetis Tinecensibus Monasterium curauit, fundauitq; sapienter ratus, fortissima patriæ suæ propugnacula esse Religionis Domicilia sacra.



IOAN-

IOANNES KŁOCKI,

DAPIFER CAVNENSIS, CAPITA: MIEDZIA:

ILlustre beneficium contulit in Benedictinos, cum Anno Christi 1630. patrimonij sui Piosunensis, Trocenses nostros heredes ex asse inscripsit. Ratus generosissimo sanguini suo, & familiæ fore consultum non malè, si facultatibus suis Deo litasset, & fortunas caducas in Diuinæ gloriæ templum mansurum elocasset. De cuius virtutibus, vt per compendium hæc pauca referam, vir fuit, vetustate originis, bellicæ laudis gloria, ad memoriam posteritatis insignis. Mortem in prælijs assuetus contemnere, non odisse vitam, sub Sigismundo III. & Vladislao IV. Regibus Poloniæ didicerat, bello prodesse patriæ, patriotis non obesse; totus vir Martius, omnia præibat in discrimina, adeò interritus vt in mortis faucibus sæpè lusum fecisse visus sit, indutus animum loricatum, minus se obnoxium leto existimabat, ibi potissimum primas volens, vbi priuilegium est eligere potuisse postremas: ijs implere solitus animis se sequutos, vt eius æmuli fortitudinis, propè accederent ad fines temeritatis. Ad Smolenscum Magister ipse Equitum & ductor cataphractæ cohortis, eò vsq; progressus fuit, quò alium nec parendi necessitas, nec gloriæ auiditas impulisset. Ac inter tanta fortitudinis decora, pietate in Deum, & in Cælites deuoto affectu enituit. Inscriptis Trocensi Monasterio bonis suis, heredem bonorum instituit Diuum BENEDICTVM, & tantæ liberalitatis accepturus præmium, cito migrauit ad cælum æternum Benedictis associandus.

VLO-

VLODIMIRVS
Monachus Tinecensis.



ILlustrisimæ familiæ suæ decus, atq; ornamentum singulare. Ducum Osuecimensium stirpi, omnium primus sanctitatis adiecit splendorem. Vladislaus Dux Osuecimensis, Vlodimiri dignissimus parens, munificum se ac liberalem benefactorem Tinecensi Domicilio exhibuit, quod addictissimis officijs semper est prosecutus, fortunasq; eius, villæ Laczany, item Zorzovv, & Wola Radzieszovvska oblatione, Regio animo ac liberalitate, reddidit auctiores. Verum enimverò Vlodimirus sodalitium Tinecense munere multo maiore, seu pretium seu dignitatem spectes affecit, cum ipsum in illud se tradidit, sacrum Diui Benedicti institutum complexus. Vbi cum totius Religiosæ perfectionis ac sanctimoniæ firmissimam basim non aliam esse, quàm germanam sui ipsius depressionem & contemptum accepisset, vltimas Cœnobij functiones tanto animi ardore affectauit, tanta sectatus est obiuitq; alacritate, quanto studio & conatu non pauci easdem abhorrentes, quàm longissime possunt, euitant. Operam quoque suam laboriosis ministerijs claustri addicendo, & mentem assiduâ Psalmorum meditatione in sublime leuando, cælestibus chori delicijs auidum reficiebat pectus, & animum pariter & corpus in bonis operibus iugiter exercebat. Neq; plenum istud laboris ac demissionis munus ad paucos dies exercuit Vlodimirus, sed complures annos ad obitum vsq; constanter ac indefeßè retinuit, nullâ Ducali Dignitati & generi, ex quo descendebat illatâ iniuriâ; quippe genus suum, non humilitate sed superbiâ decrescere, neq; vilescere natalium splendorem (vti perperam alij somniant) obscuris in Religione muneribus, sed impensius honestari, ac splendidius enitescere prudenter existimabat. Quod ipsimet in Vlodimiro experimur agnoscimusq; quem non modò longè beatiorem apud superos,

peros, sed multò etiam illustriorem ac celebriorem apud nos, & omnem secuturam posteritatem futurum confidimus, quòd infra alios Monasticâ humilitate se abiecerit, qui multos nascendi felicitate anteibat.



MSCISLAVS
Monachus Tinecensis.

DEO deuinctissimus Asceta. ita illi suos omnes agglutinârat affectus, vt nullis nisi in Deum illatis læsus iniurijs, vix alijs, quàm DEO collatis honoribus potuerit hilarari. Quem etiam vbiq; reueritus præsentem, vbiq; vixit tanquam ad aras Sacerdos nihil inter homines magis cauens, quàm ne quid ageret, DEO teste, non dignum. Vsq; ad naturæ negligentiam, & obliuionem virium imbecillarum, memor virtutum, Diuinitati propiores ita dilexit, vt eas non tàm induisse, quàm in ijs totus desiisse videri potuerit. Certamen ei erat, cum Regularium probatissimis, de accuratiore legum Monasticarum custodiâ, de sedulitate in laborando, de præripiendis vilioribus exercitijs, de sui neglectu, de humilitate, de taciturnitate, nec vllo poterat grauiori dolore affici, quàm si inter collegas ab vno quopiam inferius se demittente, superari se aduerteret. non enim virtutis duntaxat & meritorum iacturam se facere, sed existimationis etiam damnum pati prudenter arbitrabatur, ac probro sibi ducebat, si quos PRIORIS Claustralis gradu anteibat, non eosdem etiam, cum alijs Religiosæ vitæ ornamentis, tum humilitatis præsertim atq; deuotionis insignibus præcelleret. Quo in genere contentionis sanè honestissimo ac laudatissimo, MSCISLAI sedulitas atq; industria eò vsq; progressa fuit, vt ardenter optatam simul & laboriosè quæsitam in agone Religionis palmam, ac triumphum retulerit. Etsi

enim circa annum Domini, 1426. sacri instituti cultus & omnium virtutum exercitatio in Claustro Tinecensi vigebat maximè, tamen non alterius inter Monachos quàm MSCISLAI (vti ex aliorum scriptis & relatis accepimus) nobilitata est virtus & sanctitas, quâ felicitatem æternitatis patienter est assecutus.



MELLITVS NISCZYCKI, Monachus Tinecensis.

INgrato silentio hunc præterire est nefas, cuius digna cælo virtus, quò pulchrius æternitati luceret, nigram Benedictinam pallam subiuit Tineciæ. Jllustri NISCICCIORVM prosapiâ educatus MELLITVS, splendorem auitum, Religiosis virtutibus adauxit: ipsosq; adolescentiæ annos cum DEO in Tinecensi Domicilio consecrasset, egregiam partem substantiæ à maioribus sibi relictæ in Fratrum Tinecensium studia aptius promouenda transcripsit. Atq; ita, spontaneam ditioris patrimonij contemptu nuditatem mercatus, & à mundi negotijs ac tumultibus animo & conuersatione seiunctus, DEI famulatum triginta circiter annos in Religione, maximo cum fructu animæ deseruijt, & vitæ curriculum placidè & laudabiliter apud Tineciam terminauit.

NICO-

NICOLAVS PIOTROWSKI,



Ametsi virtus, ipsa sibi satis magnum præmium sit, nec ornamenta vlla aliunde desideret, interest tamen aliorum profectui, exempla probitatis habere commendata: NICOLAVS genere nobilis, animo magnificus, eruditam literis adolescentiam, Aulæ Regiæ consecrauit; dignam palæstram Polono Equite ratus, moribus nitescere & Principi obsequium probare, quo gratiæ eiusdem promptior opportuniorq; haberetur, tum vt Politici consilium exequeretur, qui selecta ingenia aulicis officijs deputanda monuit, *Quicquid humani generis floris est, habere Curiam decet.* Jn aula verò degens, omninò effugit illud brocardicum alterius Scriptoris, *qui grati, aptiq; aulæ esse volunt, eiurant probitatem.* Si quidem ille, pietatis auitæ tenacissimus, pulchro temperamento, morum continentiam iustitiæ copulauit, & veritatis amorem, inter aulæ aucupia constanter retinuit. Hinc Serenissimæ Heduigi Infanti Poloniæ pro Magistro Curiæ & officiorum delectus, auertit opprobria aulæ, in qua fraudes solæ regnare credebantur. Verùm crebrò illud Tragici dictum secum reputans, *Qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi.* ingrauescente ætate, dicto aulæ vale, ad fratrem, JOANNEM PIOTROVVSKI Abbatem Tinecensium iter conuertit, à quo procurandis quibusdam negotijs adhibitus & castro Golesz præfectus, in difficili administratione œconomicâ, adiutando fratri operam commodauit. Cumq; exsors matrimonij, cælibem, cæloq; dignam vitam ageret, & solam immortalitatem hereditare optaret, cultum DEI amplificaturus, habiturusq; quo in omni æternitate iuuari posset, Sacrificiorum pro Animæ suæ commodo à Nostris peragendorum officia conduxit, pensione ad eam rem inscriptâ, quâ Mystarum sedulitas pro merito præmiaretur. Contulit præterea sacris Aris & Templo Tinecensi honorifica alia donaria, quæ pietatem

Benefactoris loquuntur, & Ascetis operantibus Deo quotidie illius mentionem ingerunt, nec non à cælo, in illâ æternitate beatâ centuplo præmio abundè vt credo repensantur.



CENOTAPHIVM BENEFACTORVM,

SEV

Generalis Inscriptio Honoraria,

QVA

Omnibus de se meritis, Tinecensium Benedictinorum Pietas gratificatur.



CONDITIONIS OMNIS HOMINIBVS,
intra sexcenos Annos,
à condito Tinecensi Monasterio defunctis;
Qui mortalium bono, olim nati mortales,
nunc denati mundo,
viuunt iam DEO.

Quo-

Quorum mica liberalitatis, in æternitatem excreuit;
& digna cælo virtus, laureâ immortalitatis
splendescit.
Quosque, Pietas in DEVM, Charitas in homines,
benè de Cænobio Tinecensi, & Ordine Benedictino
mereri docuit:
EORVM REDIVIVÆ MEMORIÆ
MONVMENTVM HOC,
grati animi nostri mnemosynon
ad perpetuam acceptorum beneficiorum memoriam,
deuotè exhibemus:
& mortuis, per quos viuimus.
vitam precamur immortalem.
Et quemadmodum
viuentes illi prouocârunt obsequium nostrum,
nobisq; seuerunt plantas vmbram facientes:
NOS
reddimus illis cupressos, quæ alteri sæculo prosint;
& mortuis, supremis respondemus muneribus,
gratamque voluntatem nostram contestamur;
ac quod magis refert,
egentium animorum æternum memores,
quotidianis precibus, & sacrificijs,
pro eorum iuuamine,
Omnipotenti DEO,
litamus,
operamurque



APPENDIX. IN QVA,

Quondam florentissimæ CLVNIACENSIS Congregationis amplitudo, VIRI illustres, eorumq; merita recensentur.

DVm Tinecensis Monasterij nostri Historiam calamo prosequor, non possum non meminisse illustrissimi Cluniacensis Cænobij, à quo, Tinecense suam originem duxit. præsertim cum verba Isaiæ perpendo, *Attendite* (inquit cap: 51. 1.) *ad petram vnde excisi estis & ad cauernam laci de qua præcisi estis; attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Ac proinde officij debito insistendo, quæ, qualisue, huius celeberrimi quondam per vniuersum Catholicum Orbem Monasterij, quam splendida & maximè illustris fama, quæ sanctimoniæ de eo opinio, & quam frequens in eo virorum in omni genere laudis clarissimorum numerus fuerit, quibus etiam auctoribus ad tam insignem dilatationem sui prouectum exciterit, ânimus est literis strictim percensere.

Jam verò prima Cluniacensis Sodalitij iecêre fundamenta, Berno, Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, Petrus Venerabilis, & cæteri, quos vitæ meritum, pietasque, Diuorum numero sociauit, & singularis eruditio inter Ecclesiæ Catholicæ Doctores & scriptores non vltimos

mos consedere fecit. Cum quibus, si alios insignes Heroes, qui etiam ipsi Institutorum & Ordinum suorum auctores fuerunt, & diuersas Congregationes Regularium in Ecclesia Dei prosemi-nârunt, opponere & committere vellem, nullâ ratione, seu natalium claritudine, seu vitæ morumq; sanctitudine, seu doctrinæ multiplicis exuberantissimâ profunditate ijs crediderim æquiparandos.

Ac inprimis hæc gloriosa & amplissima Congregatio, à S. Odone Abbate, circa annum Domini 926. exordium maximè sumpsit & nomen. Hic enim doctrinâ atq; sanctitate præstans, D. Benedicti disciplinam, quæ iam (quod natura fert in omnibus fere rebus) senuisse videbatur, magnâque ex parte laxata esse, ad pristinam formam reuocare aggressus est, quod etiam perfecit Cuius exemplum sequuti complures alij Abbates, in totâ fermè Italia, Hispaniâ, Germania, Angliâ, in suos ipsi quoq; greges reformandos incubuêre, idquè eodem successu & fructu: qui deinde vno Spiritu ac vinculo colligati, adhibitâ etiam Romanorum Pontificum auctoritate, quòtannis consueuerant ad ea tractanda & decernenda, quæ ad tuendam disciplinam pertinebant. Magna omninò ea immutatio fuisse dicitur, in quâ planè ad Duo millia Cænobiorum restituta & sanata scribuntur. Qui etiam Odo, spectatissimæ virtutis & sapientiæ Antistes, à Leone VII. Summo Pontifice pacis legatione inter Hugonem Longobardorum Regem & Albericum Romanæ Vrbis Principem, functurus, in Italiam missus fuit, vbi ipsius longè latèque nomen, veluti clarissimum sydus effulserat, ibique eam gratiam apud Reges & Principes, Episcopos & Magnates obtinuerat, vt ei Monasteria, quæ intra suos fines constructa habebant, iuri ipsius tradita, conferrent, suo more corrigenda, emendanda, atq; ordinanda.

Auxit pariter famam eorundem Cluniacensium dignissimus Abbas Maiolus, quem innumeris virtutibus clarum, Deo & hominibus extitisse charissimum, S. Odilo testatur. *Multi* inquit, *Catholici, & honorabiles Clerici, Religiosi, Monachi, & Reuerendi Abbates, venerabantur illum vt Sanctissimum Patrem, Sancti & sapientes Episcopi, tractabant illum vt charissimum fratrem; ab Imperatoribus & Imperatricibus, Regibus & mundi Principibus, Senior appellabatur & Dominus: honorabatur à Pontificibus Apostolicæ Sedis, & verè erat eo tempore, Princeps Religionis Monasticæ*

Jam

Jam verò Odilo, grande decus Ecclesiæ Vniuersalis, & Ordinis Benedictini mel & delitium, quantus fuerit, quâ vitæ sanctimoniâ summæ eruditioni iunctâ vernarit; neminem ignorare puto, qui vel modicam rerum cognitionem habeat. Hic cum inter Aruernos primi nominis, & antiquæ nobilitatis esset, elegit tamen abiectus esse, vt postmodum in Domo Dei, id est Cluniacensi Monasterio, sicut oliua fructifera vberrimum fructum Monachus, dein Abbas ediderit. Qui cum societatis Cluniacensis pietatem, & nomen, illustrius reddidisset, locum quoque ipsum & Cænobium architectonicis structuris extulit, cuius peristylia sumptibus immensis, marmoreis columnis adornauit, & eandem Ecclesiam infinitis propemodum ad diuinum cultum ornamentis, ditauit & auxit. Sed nihil æquè admirandam eius deuotionem & charitatem exhibet, quam solemne illud toto suo Ordine decretum; quo sicut in capite Calendarum Nouembrium, Sanctorum omnium in Ecclesia Catholica festiuitas recolitur, ita postridie, Psalmis, pijs erogationibus, & Sacrosancti Altaris numerosis officijs, omnium in CHRISTO quiescentium memoriam iussit celebrari. Quod postea, tam pium, tamque deuotum præfatæ Ecclesiæ Catholicæ visum est, vt quà patet, fideliter obseruandum admiserit atque receperit. Non leuiter quoque, eidem Beatissimo Viro, obligatam se agnoscit Polonia nostra, cui ille, insignem Regem, Diuum Casimirum Primum, Christianis & Monasticis excultum virtutibus, & ad omnem probitatem edoctum formatumque, quo magis deinceps afflictissimo Regno prodesset, gloriosè submisit: pariter ex illa officina virtutum omnium, cætu inquam Cluniacensi, probatissimæ sanctitatis & vitæ laudatissimæ Antistitem, Beatum Aaronem, Tinecensis nostri Monasterij Abbatem: qui ambo, quam vtiles Regno, quam gloriosi Ecclesiæ, Casimirus ad solium Regale, Aaron ad Cathedram Cracouiensem subuecti, pleni sunt laudum Fasti, plena Annalium vetustas.

Non minori virtute radiabat Hugo Sanctissimus Abbas, sub quo Cluniacensis Religio tantum effloruit, vt inde Abbates desolatis quærerentur Monasterijs, & exempla sanctimoniæ assumerentur. sub quo, innumera prope Monasteria Gallica, Germanica, Ægipti & Palestinæ Cluniacensi cætui iuncta, & noua præterea, à multis Princi-

Principibus recenter ædificata, eidem Congregationi incorporata fuere, ad quorum directionem, Cluniaco, Cænobiarchæ vt plurimum destinabantur.

Quid memorem Petrum Mauricium, natione Aruernum, familiâ natum illustrissimâ, ob vitæ meritum sanctitatemque *Venerabilem* vulgò dictum, Theologicæ Scholæ lumen clarissimum, in Hieronymo velocem, in Augustino pr[illegible]um, in Ambrosio profundum, in Gregorio clarum, Oratorem vtique consummatissimum, Poetam ingeniosissimum, variorum sui temporis errorum profligatorem, & veritatis doctrinæque Catholicæ assertorem acerrimum, Nouatorum & hæreticorum mastigem flagellumque durissimum. Qui cum tot animi polleret dotibus, corporea etiam minimè carebat concinnitate & elegantiâ. incessus illius grauis, sermo matúritatis & gratiæ plenus, mores benè compositi, totus iucunda grauitate, grauique iucunditate redimitus, omnibus exemplar honestatis & Monasticæ disciplinæ præferebat. Statura corporis adeo conspicuus, vt inter omnes sui temporis personas vultus venustate præclarior extiterit. Cuius scripta qui legit, nemo est, qui spiritum vere Apostolicum non admiretur, Theologicæ scientiæ absolutissimum & perspicacissimum Doctorem non prædicet, eloquentiæ & facundiæ exquisitissimum Magistrum non commendet.

Sed cum familiam Cluniacensem, imò Ordinem Benedictinum totum, quin & ipsam Ecclesiam Catholicam talibus lampadibus seu fulgetris clarescentem atque radiantem, intimis mentis obtutibus contueor; tum demum totus, in ipsius admirationem amoremq; transferor. & rogo, quanta laude digna fuit Cluniaca Domus, quæ apud se, trecentos, nonnunquam quadringentos Monachos, (*ô illustris portio gregis Christi*) sub talibus Pastoribus numerauit. An non vere tum temporis Cluniacensis Ordo, *Religionis Monasticæ* (prout Pontifices, in Diplomatibus, & diuersi Reges, in suis chartis, latissimè de hoc Monasterio testantur.) *Speculum tersissimum, lux mundi, & inter lapides pretiosos, quædam præfulgens margarita, peculiare Ecclesiæ Romanæ patrimonium, nobilius membrum Regni Franciæ Coronæ perpetuò vnitum, ipsumque Monasterium Cluniacense, venerabile orationis domicilium, pauperum, indigentium, aduenarum, & peregrinorum refugium erat?* ac proinde, ab omnibus fere summis Pontificibus, Imperato-

ribus, Regibus, Principibus & Ducibus, ab ipso fundationis exordio, per annos sexcentos, infinitis priuilegijs, indultis, gratijsque dotatum & ditatum.

Quid? An non bona pars celebrium virorum, quos seu propter exactam scientiam, admirabilem sapientiam, & Angelicam viuendi formam, Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI Ordo sibi adscribit, quosque Ecclesia Catholica, ad Quindecim Millia Sanctorum Canoni iunxit, ex ipsa Cluniacensi scaturigine profluxit? Habuit certè eadem Ecclesia ex præfato B. BENEDICTI Ordine, quindecim mille & septuaginta quatuor Abbatias per vniuersum Orbem sparsas, quibus Abbates præficeret ac institueret, item, viginti & octo Summos Pontifices, Ducentos & aliquot Cardinales, quadringentos Archiepiscopos, & sex millia Episcoporum, ante Constantiensem Synodum.

Jam autem, si quis Abbatiarum, Prioratuum, Decanatuum, Domorum, Cellarum &c. Cluniacensi Cænobio subditarum, elenchum indicemque optarit, legat *Bibliothecam*, à Martino Marrier Monacho doctissimo elaboratam, & *Cluniacensem*, inscriptam, vt à ramis atq; palmitibus Arborem dignoscat, & à tam effuso sacrorum locorum numero, Matricem Ecclesiam, celeberrimumque Cluniacensem Ordinem æstimet, ex quo ad Summi Pontificatus dignitatem atque fastigium peruenisse hi leguntur.

Gregorius VII. qui Domnus Hildebrandus antea, Monachus & Prior Cluniacensis, natione Etruscus, patria Soanensis, patre Bonicio, omnium bonorum consensu Anno Domini 1075. Pont: Max: creatur, Hic primùm, à Nicolao II. Anno 1059. Cardinalis creatus, multis pro ecclesia DEI perfunctus obsequijs, tandem à morte Alexandri Papæ, cum clerus, populusque subrogando Pontifici, in æde B. PETRI ad vincula conuocatus esset, subitò consentientibus omnibus, Hildebrandus Archidiaconus sedere in sede PETRI, vt dignissimus omnium, iussus est. in cuius electione, hæc forma adhibita fuit, *Nos S. R. E. Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, & Diaconi, Presbyteri, præsentibus Venerabilibus Episcopis, Abbatibus & Monachis, consentientibus pluribus turbis vtriusque Ordinis, elegimus nobis in Summum Pontificem Hildebrandum Archidiaconum, Virum religione, doctrina, iustitiaque præstantem, in aduersis constantem, in prosperis modes-*

moderatum, pudicum, modestum sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem, in gremio huius Ecclesiæ à pueritia egregiè educatum & eruditum, eumque posthac esse & dici Gregorium VII. Pontificem, volumus & consentimus. Mortuus est autem Anno Domini 1085. 8. Cal: Junij, die Dominico, Pontificatus sui Anno 13.

Vrbanus II. qui Domnus Odo antea, Monachus & Prior Cluniacensis, à Gregorio VII Cardinalis creatus, mox Episcopus Ostiensis, & tandem Papa creatus est, Anno 1088.

Paschalis II. qui & Domnus Rainerius antea, sub Hugone Abbate Cluniaci Monasticum institutum vitæ, professus fuit. Eius dexteritatem, rerum peritiam, & vitæ integritatem admiratus Gregorius 7. Abbatem eum Monasterij Sancti Laurentij extra muros, via Tiburtina constituit, & postea Presbyterum Cardinalem Tituli S. CLEMENTIS iussit. Qui postmodum, Anno Domini 1099. Pontifex creatus est.

Sequentes suâ præsentiâ Pontifices, locum CLVNIACENSEM *decorarunt.*

Gregorius VI. qui Anno 1046. ibidem obijt.

Jtem Gelasius II. qui eo loci confugerat, timore Henrici V. Augusti. Hic Anno Dominicæ natiuitatis 1119. Pontificatus sui Anno primo, cum apud Matisconem in Gallia Concilium celebrandum adornaret, ibidem graui morbo correptus, se Cluniacum lectica citius perferri iussit, eoque accitis Cardinalibus, orationem habuit, & omnibus Ecclesiæ Sacramentis susceptis, iuxta normam Monasticam, strato terræ corpore 4. Cal: Februarij Sanctissimè quieuit; vir omni laude dignus, si vita sanctissima, si mores integri, si denique sacra doctrina spectentur.

Calixtus II. qui antea Wido Viennensis Archiepiscopus, ob res præclarissimè gestas, postridiè, quam Cluniacum à Gelasio II. vocatus, aduentasset, omnium Cardinalium suffragijs, Anno 1119. Pontifex Maximus, inuitus penitus ac repugnans acclamatus est in Monasterio Cluniaco. Hic timens, ne Cardinales qui Romæ erant, eius electionem reprobarent, chlamide rubeâ non ante indui, aut reliquo ornatu Pontificio vti voluit, quam creationem suam ab ijs ratam haberi intellexisset, quo cognito, Cluniacum reuersus est,

& à Lamberto Ostiensi alijsq;, consecrationem & coronationem accepit.

Sequentes purpurâ rubroque pileo, è CLVNIACENSI *Monasterio & Ordine insignes extitêre.*

Jllmus Domnus PONTIVS Monachus & Abbas Cluniacensis filius Comitis Merguliensis, à præfato Calixto Secundo. S. R. E. eodem anno 1119. Cardinalis creatus est. istoque Priuilegio à prædicto Papâ donatus, vt sui in prædicta Abbatia Cluniacensi successores, CARDINALES NATOS sese vocarent, & vbique fungi possint officio Cardinalis, qua de re habetur documentum in Bibliotheca Cluniacensi folio 560. a.

Jllmus Domnus MATTHÆVS, Prior Claustralis Cluniacensis, ab Honorio II. Anno 1125. Cardinalis Albanus creatus, vir doctrina & sanctitate præstans, cuius vitam & mores Petrus Venerabilis describens, de eius pietate & eruditione refert, *lib. 2. cap. 4.*

Jllmus Domnus JMARVS Monachus Sancti MARTINI de Campis, & Abbas Pictauiensis de Congregatione Cluniacensi, ab Jnnocentio II. Anno Domini 1142. Episcopus Cardinalis Tusculanus factus: postea à Lucio II. Legatus in Angliam missus, legationis munus integrè & prudenter obijt. Inde Cluniacum accedens, dum vixit, in eo Monasterio permansit, & ibidem Anno 1154. diem clausit extremum. Vir doctus, qui in sacram scripturam aliquot Commentaria edidit, & S. BERNARDO familiariter vsus, ad quem Bernardi epistola. 210. 229. 230. 231.

Jllmus Domnus THEOBALDVS Abbas Cluniacensis, post decessum pientissimi Guillelmi factus, Anno 1181. & biennio post, Episcopus Cardinalis Ostiensis & Velicernus à Lucio III. creatus, mortuus verò Anno 1188.

Jllmus Domnus JOANNES de Abbatis villa, Monachus Cluniacensis, vir in diuinis scripturis eruditissimus, quas in gymnasio Parisiensi publicè longo tempore docuit, & cum declamando ad populum exercitatissimus esset, ex Magistro Parisiensi, factus est Archiepiscopus Bisuntinus. Tandem à Gregorio IX. Anno Domini 1227. Episcopus Cardinalis Sabinus creatus, ad prædicandam crucem contra Sarracenos in Hispaniam & Portugalliam Legatus

missus

missus est, quo munere egregiè functus, de Ecclesia optimè meritus.

Jllmus Domnus SIMON, Monachus Cluniacensis, à Cælestino V. Anno Domini 1274. Presbyter Cardinalis tituli S. BALBINÆ creatus.

Jllmus Domnus GVILLELMVS ex Monacho Cluniacensi, Archiepiscopus Cæsaraugustanus, dein à Clemente VI. Anno Domini 1350. Presbyter Cardinalis S. MARIÆ trans-Tiberim Tituli Calixti, postea Episcopus Sabinus ab Vrbano V. creatus.

Jllmus Domnus ANDRVINVS de Roca, Abbas Cluniacensis, Magister in Theologia, ab Innocentio VI. Presbyter Cardinalis tituli S. MARCELLI creatus, Anno 1361.

Jllmus Domnus GERARDVS de Podio Monachus Cluniacensis & Abbas S. MARTINI Turonensis, à Gregorio XI. Anno Domini 1375. presbyter Cardinalis tituli S. CLEMENTIS creatus. mortuus est Auenione, Anno 1389.

Jllmus Domnus GVILLELMVS de Estouteuilla, qui nobilissima & antiquissima ortus familia, Regibusq; Francorum sanguine iunctus, in Sancti MARTINI Parysiensi Cænobio factus Monachus, virtute, doctrina, & religione singulariter excelluit. Hic primùm Decretorum Doctor, & Prior in campis Paris: mox Episcopus Morinensis, post Andegauensis, dein Bitterensis, exin Archiepiscopus Rothomagensis. Ab Eugenio quarto, Anno Domini 1439. presbyter Cardinalis SS. SILVESTRI & MARTINI: à Nicolao V. Episcopus Cardinalis Portuensis: à Pio II. Ostiensis & Veliternus creatus fuit. Religionis maximus cultor, apud Principes, ob familiæ splendorem, & vitæ integritatem maximi habitus, & pro Sede Apostolica multis legationibus est perfunctus. Qui cum Basilicam S. MARIÆ Maioris, vasis aureis & argenteis, maximi pretij exornasset, & Ecclesiam S. AVGVSTINI vrbis, à fundamentis erexisset, octuagenario maior, exactis in Cardinalatu 38. Annis, Cardinalium Collegij Decanus, S. R. E. Camerarius & Archipresbyter S. MARIÆ Maioris, Romæ mortuus est, Anno 1483. Eius funus, in Templo S. AVGVSTINI à se extructo dum perageretur, ob sacras & aureas vestes, quibus eius corpus erat indutum, contentione inter Canonicos S. MARIÆ Maioris, & Fratres Augustinianos

anos exortâ, cuius eæ essent, annulis è digitis extractis, parum abfuit, quin nudum ignominiosè relinqueretur. *refert Marrier Monachus Benedictin: Pariss:*

Jllmus Domnus Joannes Lofredi, Monachus Cluniacensis, Abbas Luxouiensis, Decretorum & Theologiæ Doctor; post Episcopus Atrebatensis, & Referendarius Apostolicus; demum à Pio II. Anno Domini 1461. presbyter Cardinalis SS. Silvestri & Martini in montibus creatus, egregius vir doctrina, ingenio, & memoriâ præstans. obijt Anno 1473.


Jllmus Domnus Philippus de Camera Ducis Albaniæ frater, & monachus S. Benedicti apud Cluniacum: Episcopus primò Bononiensis, mox à Clemente VII. anno Domini 1533. presbyter Cardinalis tituli S. Martini in montibus; post, tituli Sanctæ Mariæ trans Tiberim, ac demum Episcopus Cardinalis Tusculanus Anno Domini 1549. creatus, obiit Romæ. Anno 1550.

Sed interim sufficiant, ad amplissimam Congregationis Cluniacensis dignitatem obiter commemorandam, hi viri Illustrissimi, hîc à me recensiti; nam alios propemodum innumeros Diuorum Canoni adscriptos, qui sanctitate, doctrina, vel Episcopalibus seu Abbatialibus infulis, vel sanguinis nobilitate insignes, dictam Cluniacensem Congregationem professi fuêre, vel inde emersêre, inque Ecclesiâ, postmodum Catholicâ, mirum in modum effulsêre, vt longissimum ita grauissimum esset enarrare.

Atque vt finem scribendo faciam, hoc solùm, de tam celeberrimo Cluniacensi Monasterio addidero, quod sicut Cluniacum, Ecclesiæ Vniuersali Catholicæ insignes Pontifices submiserat, diuersis Regnis Episcopos, & populis Doctores dederat & protulerat, ita vicissim à Summis Pontificibus, à maximis Regibus, à diuersis Prouincijs & gentibus, mirâ deuotione & officijs multiplicibus excultum fuerat. Hinc eius Monasterij specialis prærogatiua fuit, quod Abbates habuerit Cardinales Natos, & S. R. I. Principes Perpetuos, qui ab omni iurisdictione Regum, Principum, Episcoporumque exempti, atque soli Apostolicæ sedi immediatè subiecti, præter alios fauores quibus decorabantur, Indulgentias quadraginta dierum Monasterijs subiectis concedere, eaque visitare independenter à Lociordinarijs poterant; imò, cum à nullo Episcopo-

scoporum excommunicari vel interdici potuerint, habebant tamen in diuersis Cathedralibus Ecclesijs suas præbendas & præstimonia, gaudebantq; immunitatibus largis, & priuilegijs inter omnes Abbates vbique præfulgebant. Sed hæc olim verificabantur de illo Cænobio & Abbatibus, nunc omnia amissa, Cænobiumque ab illo celsissimo honoris fastigio ad ingentem seruitutem prolapsum, dum per seculares ex clero Administratores, amplius centum annos, titulo commendæ subactum gubernatur. Atque inde est, vt quemadmodum florenti Cluniacensium Congregationi, Regij vatis elogium accommodari quondam poterat; *Plantasti radices eius & impleuit terram, operuit montes vmbra eius, & arbusta eius Cedros* Dei. *Extendit palmites suos vsque ad mare & vsque ad flumen propagines.* Psal: 79. ita quoque sub eodem vineæ typo de collapsæ miseria liceat modo conqueri, eiusdem Prophetæ verbis, *Vt quid destruxisti maceriam eius & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam. Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.* Adeò nullâ hîc felicitas est diuturna. res humanæ velut orbe quodam voluuntur.

sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere pondera gentes,
Concidere has. Ouid: Metamorph:





INDEX RERVM ET NOMINVM MEMORABILIVM,

Quæ in his libris explicantur & continentur. Numerus paginam designat.

Bole-

Archi-

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

Sit nomen Domini BENEDICTVM ex hoc nunc, & vsque in sæculum.



Errata inaduertentiæ.

Pagina 20. *versu* 18. *collegitest*, lege collegit, *pagina* 57. *versu* 4. *humanitatis*, lege humilitatis, *pagina* 62. *versu* 19. *XIV*. lege XXIV. *pagina* 128. *versu* 1. *Dei* lege Dein, *pagina* 195. *versu* 25. *conseruati* lege conuersati, *pagina* 218. *versu* 18. *qui* lege quibus.

Cætera Lector beneuole, si quæ fuerint tibi obuia, benignè corrige. Etenim.

Quis liber erratis liber? sua sponte notanti
Ignosce his, qui te posse carere negas.



CRACOVIÆ,
Apud Heredes CHRISTOPHORI SCHEDEL, *S. R. M. Typ:*
Anno Domini, 1668.